Dall'essere stato scancellato il nome del tipografo si rileva che questi era un Riformato.

La sillaba <u>arg</u> che ancora si leggeva (1877) parrebbe essere della parola <u>Argentorati</u>.

Confrontando i caratteri con un Vitruvius stampato pure in Argentina, ora Strasburgo, 1543, parrebbe che il tipografo fosse stato Knobloch: ma il Vitruvius non ha la <u>Fortuna</u>. Severini

CORNELIVS NEPOS DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

Cui accesſit Ioannis Boccatij uice commentarij, Rom. hiſtoriæ locupletiſsimus index. Reges, Conſules, aliosq́ complures inſignis famæ uiros, & exterarum Gentium bella memoranda in ſe continens.

Item de ortu & authoritate ſacri Ro. Imperij Liber I. Aeneæ Syluij Piccolominei Senenſis, olim pij II. Pontif. Max. Ad glorioſiſſ. & inuictiſſ. Rom. Imp. Fridericum III. Archiducem Auſtriæ I.

Huic adhæret Pomponij Læti libellus de Rom. Legibus.

Omnia noua Ver protulit.



A[illegible]

Anno. 1544.

CORNELII NEPOTIS BREVIS A MACHANEO EDITA VITA.

EX Annalibus Euſebij hunc Cornelium Nepotem Veronenſem, tempeſtate bellorũ ciuiliũ Auguſti Cęſaris & Marci Antonij ſatis uiguiſſe conſtat ante ſalutiferi Chriſti natalẽ. Quippe Chronicorum auctor ad uerbum diuo Hieronymo interprete ſcribit: Cornelius Nepos ſcriptor clarus hiſtoricusq; habet. Ciceronẽ quoq; ad illum, utpote familiarẽ atq; amicũ, epiſtolas exaraſſe Macrob. libro ſecundo Saturnal. talia uerba indicant: Iocos enim, hoc genus ueteres noſtri dicteria dicebãt. Teſtis idem Cicero, qui in libro Epiſtolarum ad Cornelium Nepotem ſecundo, ſic ait. Plutarchus etiamnum in eius uita Tullium libros Epiſtolarum ad Cornelium Nepotem eũ exaraſſe affirmat, ſed non extare. Catullus etiamnum cõterraneus eidem opus ſuum hiſce endecaſyllabis dedicat.

Cui dono lepidum nouum libellũ,
Arida modo pumice expolitum
Corneli: tibi, nanq; tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.
Iam tum cum ausus es unus Italorũ
Omne æuum trib9 explicare chartis
Doctis Iuppiter, & laboriosis.

Plinius e Cornelio se in pluribus librorum indicibus excerpsisse ingenue fatetur. Eundem Pomponij Attici familiaris sui, Catonisq; senioris uitam conscripsisse, eius elegantissima scripta aperte indicant: nec e Plutarcho transtulisse ualuit, quia is Traiani temporibus floruit. Scripsit chronica, geographiãq;, insignisq; Romę rhetor habitus: Daretis quoq; Phrygij historiam de bello Troiano in Latinum uertit, ut epistola eius ad coæuum Sallustium scripta in prȩfatione indicat. Si modo non alter extiterit.

Cor-

CORNELIVS NEPOS DE VIRIS ILLVSTRIBVS.

DE PROCA Albanorum Rege.

PROCA Rex Albanorũ, Amulium, & Numitorem filios habuit, quibus regnum anuuis uicibus habendum reliquit, & ut alternis imperarent, sed Amulius fratri imperium nõ dedit, & ut eum sobole priuaret Rheam Siluiam, filiam eius Vestæ sacerdotem præfecit, ut uirginitate perpetua teneretur, quæ a Marte compressa Romulum & Remum ædidit. Amulius ipsam in uincula compegit, paruulos in Tyberim abiecit, quos aqua in sicco reliquit. Ad uagitum lupa accurrit, eosq; uberibus suis aluit, mox Faustulus pastor collectos, Accæ Laurentiæ coniugi educandos dedit, qui

postea Amulio interfecto, Numitori auo regnum restituerunt. Ipsi pastoribus coadunatis ciuitatem cōdiderunt, quam Romulus augurio uictor, quod ipse.XII.Remus. VI. uultures uiderat, Romam uocauit. Et ut eam prius legibus q̃ mœnibus muniret, edixit nè quis uallum transiliret, quod Remus irridens transiliuit, & à Fabio Celere Centurione rastro fertur occisus.

DE ROMVLO Romanorum rege primo.

ROMVLVS Asylum conuenis patefecit, & magno exercitu facto cum uideret coniugia deesse, per legatos à finitimis ciuitatibus petijt, quibus negatis ludos Consualia simulauit, ad quos cum utriusq; sexus multitudo uenisset dato suis signo uirgines raptæ sunt. Ex quibus cum una pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur, Thalassio eam duci respōsum.

Quæ nuptiæ quia fœliciter cesserũt, in stitutum est ut omnibus nuptijs Thalassij nomen inuocaretur. Cum fœminas finitimorũ Romani ui rapuissent, primi Cenimenses contra eos bellum sumpserũt; aduersum quos Romulus, processit, & exercitum eorum, ac ducẽ Acronem singulari prælio deuicit, spolia opima Ioui Pheretrio in Capitolio consecrauit. Sabini ob raptas, bellum aduersus Romanos sumpserunt, & cũ Romæ appropinquarent, Tarpeiam uirginem nacti, quæ aquæ causa sacrorum gratia hauriendæ descenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium produxisset. Illa petijt quod in sinistris illi manibus gerebant, uidelicet annulos & armillas quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit, ubi Titus Tatius scutis eam obrui præcepit. Nam & ea in leuis habuerant. Romulus aduersus Tatium qui montẽ Tarpeium

tenebat, processit, ac in eo loco, ubi nũc Romanum forum est, pugnam conseruit. Ibi Hostius Hostilius fortissime dimicans cecidit, cuius interitu consternati Romani fugere ceperunt. Tunc Romulus Ioui statori ædem uouit, & exercitus seu sorte seu diuinitꝰ restitit. Tunc raptæ in medium processerũt, & hinc patres inde cõiuges deprecatæ, pacem conciliarunt. Romulus fœdus percussit: & Sabinos in urbẽ recepit. Populum à Curibus oppido Sabinorũ Quirites uocauit, Cẽtum senatores ab ætate Patres appellauit. Treis equitũ centurias instituit, quas suo nomine Ramnenses: à T. Tatio Tatienses: à Lucumone Luceres appellauit. Plebẽ in triginta curias distribuit, easq; à raptarũ nomine appellauit. Cum apud Capreæ paludẽ exercitum lustraret, nusq; comparuit. Vnde inter patres & populũ seditione orta, Iulius Proculus uir nobilis in contionem processit, & iu-

reiurando

reiurando firmauit, Romulum à se in colle Quirinali uisum, augustiore forma cum ad deos abiret, eundemq; præcipere, ut à seditionibus abstinerēt, uirtutem colerent, futurum ut omniũ gentium domini existerent. Huius auctoritati creditum est. Aedes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro deo cultus, & Quirinus est appellatus.

DE NVMA Pompilio Ro. rege. II.

POST consecrationem Romuli cũ diu interregno dissensiões orirent̃, Numa Pompilius Põponij filius, Curibus oppido Sabinorum accitus, cum adducentibus ciuibus Romã uenisset, ut populum ferum religione molliret, sacra plurima instituit, ędem Vestæ fecit, ṽgines uestales legit: flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalẽ. Salios Martis sacerdotes, quorũ primus presul uocatur, duodecim instituit. Pontificem

tificem maximum creauit, Portas Iano gemino ædificauit. Annum in duodecim menses distribuit, additis Ianuario & Februario. Leges quoque plurimas & utileis tulit. Et omnia iussu Aegeriæ Nymphæ coniugis suæ se facere simulans: ob hanc tantam iustitiam bellum ei nemo intulit. Morbo solutus in Ianiculo sepultus est: ubi post multos annos arcula cum libris à Terentio quodam exarata, qui libri, quia leues quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt.

DE TVLLO Hostilio Romanorum rege tertio.

TVLLVS Hostilius, quia bonam operam aduersum Sabinos nauauerat, rex creatus, bellum Albanis indixit: quod trigeminorum certamine finiuit. Albam propter perfidiam ducis Metij Suffetij diruit. Albanos Romam transire iussit. Curiam hostiliam constituit. Montem Cælium urbi ad

didit. Et dum Numam Pompilium ſacrificijs imitatur, Ioui Elicio litare non potuit: fulmine ictus cũ regia cõflagrauit. Cum inter Romanos & Albanos bellum fuiſſet exortum, ducibus Hoſtilio & Suffetio: placuit rem paucorũ certamine finire. Erãt apud Romanos Trigemini Horatij. Tres apud Albanos Curiatij, quibus fœdere icto cõcurrentibus, ſtatim duo Romanorum ceciderunt. Tres Albanorum uulnerati. Vnus Horatius ꝗuis integer, quia tribus impar erat, fugam ſimulauit, & ſingulos per interualla, ut uulnerum erat dolor interfecit. Et cũ ſpolijs onuſtus rediret, ſororem obuiam habuit, quæ uiſo paludamento ſponſi ſui, qui unus ex Curiatijs erat, flere cœpit: frater eã occidit, qui apud Duumuiros condemnatus ad populum prouocauit: ubi patris lachrymis condonatus: ab eo expiandi gratia ſub Tigillum miſſus, quod nunc quoq; uiæ ſuppoſitum ſororium appel-

appellatur. Metius Suffetius dux Albanorum cũ se inuidiosum apud ciues uideret, ꝙ bellum solo Trigeminorum certamine finisset, ut rẽ corrigeret Veientes, & Fidenates aduersum Romanos incitauit: Ipse a Tullo in auxilium accersitus aciem in collem subduxit, ut fortunam belli experiretur, ac sequeretur, Qua re Tullus intellecta, magna uoce ait, suo illud iussu Metium facere. Qua re hostes territi uictiq; sunt. Postera die Metius cum ad gratulandũ Tullo uenisset iussu ipsius quadrigis religatus, ac in diuersa distractus est.

DE ANCO Martio Romanorum rege quarto.

ANCVS Martius Numæ Pompilij ex filia nepos, æquitate & religione auo similis. Latinos bella domuit. Auentinum & Ianiculum monteis urbi addidit. Noua mœnia oppido circumdedit, Syluas ad usum nauium pub-

publicauit. Salinarum uectigal insti-tuit. Carcerem primus ędificauit. Ho-stiam Coloniam maritimis commeati bus opportunam in ostia Tyberis de duxit. Ius fœciale, quo legati ad res re-petēdas uterētur, ab Aequiculis trāstu lit, quod primus fertur Hesus excogi tasse. His rebus intra paucos dies con fectis, immatura morte præreptus, nō potuit præstare, qualem promiserat regem.

DE LVCIO Tarquinio Prisco, Romanorum rege quinto.

LVCIVS Tarquinius Priscus Lu cumo, græci Demarathi, filius: qui Corinthi tyrannidem fugiens, in Ethru riam commigrauit. Ipse Lucumo di-ctus: urbe Tarquinijs profugus. Ro-mam petijt. Aduenienti aquila pileū substulit: & cum alte subuolasset, repo suit. Tanaquil coniunx auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit.

Tarqui-

Tarquinius pecunia & industria dignitatem, atque etiam Anci regis familiaritatem consecutus, à quo tutor liberis relictus, regnum intercepit, & ita administrauit, quasi iure adeptus fuisset. Centum patres in curia legit: qui minorum gentium sunt appellati: æquitum centurias numero duplicauit, nomina mutare non potuit, Actij Nauij auguris autoritate deterritus, qui fidẽ artis suæ nouacula & cote firmauit. Latinos bello domuit. Circum maximum ædificauit. Ludos magnos instituit. De Sabinis & priscis Latinis triumphauit. Murum lapideum urbi circundedit. Filiũ tredecim annorum, quod in prælio hostem percussisset: prætexta bullaque donauit. Vnde hæc ingenuorum puerorum insignia esse cœperunt. Post ab Anci liberis, immissis percussoribus, per dolum regno exutus est & interfectus.

DE SERVIO Tullio Romanorum rege sexto.

SERVIVS Tullius Tullij Corniculani & Ocretiæ captiuæ filius, cũ in domo Tarquinij Priſci educaretur, flammę ſpecies caput eius amplexa eſt. Hoc uiſo Tanaquil ſummam ei dignitatem portẽdi intellexit. Coniugi ſuaſit ut ita eum ut liberos ſuos educaret, qui cũ adoleuiſset gener à Tarquinio aſsumptus eſt: & cum rex occiſus eſſet, Tanaquil ex altiore loco ad populum deſpiciens ait: Priſcum Tarquinium graui quidem, ſed non letali uulnere accepto petere, ut interim dum conualeſcit, Seruio Tullio audientes eſſent. Seruius Tullius quaſi precario regnare cœpit, ſed recte imperium adminiſtrauit. Hetruſcos ſæpe domuit. Collem Quirinalem & Viminalẽ & Eſquilias urbi addidit. Aggerem foſsaſq; fecit. Populum in quatuor tribus diſtribuit, ac poſt plebi diſtribuit annonam, menſuras, pondera, claſseis, centuriaſq; conſtituit. Latinorum populis perſuaſit

uti

uti exemplo eorum qui Dianę Ephesię ædem fecissent, & ipsi ædem Dianæ in Auentino ædificarent, quo effecto, bos cuidam Latino miræ magnitudinis nata est, responsum somnio datum, eum populum summam imperij habiturũ, qui prius bouem illam immolasset. Latinus bouẽ in Auentinum egit, & causam sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus dixit: prius uiuo eum flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tyberim descendit: sacerdos bouem immolauit. Ita imperium ciuibus, sibi gloriam facto consilioq; uendicauit. Seruius Tullius filiam alteram ferocẽ, mitem alteram habens, cum Tarquinij Prisci filios pari animo uideret, ut omnium mentes morum diuersitate leniret, ferocem miti: mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites seu forte, seu fraude perierunt, feroces morum similitudo coniunxit: statim Tarquinius superb9 à Tullia citatus aduocato

senatũ

senatu regnum paternum repetere cœpit, qua re audita Seruius dũ ad curiã properat, iussu Tarquinij gradibus deiectus & domũ refugiens, interfectus est. Tullia statim improperauit, & prima coniugem regem salutauit, a quo iussa turba decedere, cum domum rediret, uiso patris corpore: mulionem euitantem, super ipsum corpus carpentũ agere præcepit. Vnde uicus ille sceleratus dictus. Postea Tullia cum coniuge in exilium acta est.

DE TARQVINIO superbo Ro. rege. vij.

TARQVINIVS superbus cognomẽ moribus meruit: occiso Seruio Tullio regnũ scelestè occupauit, tamen bello strennuus Latinos Sabinosq; domuit. Suessam Pometiam Hetruscis eripuit. Gabios per Sextum filium simulato transfugio in potestatẽ redegit, & ferias latinas primus instituit.

tuit. Lacus in Circo, & cloacam maximam fecit, ubi totius populi uiribus usus est: unde illæ fossæ Quiritum sunt dictæ. Cum Capitolium inciperet, caput hominis inuenit. Vnde cognitum est eam urbem caput gentium futuram. Et cum in obsidione Ardeæ, filius eius Lucretiæ stuprum intulisset, cum eo in exilium actus, ad Porsenam Hetruriæ regē confugit: cuius ope regnum retinere tentauit: pulsus Cumas concesit, ubi per summam ignominiā, reliquum uitæ tempus exegit.

DE TARQVINIO Collatino.

TARQVINIVS Collatinus sorore Tarquinij Superbi genitus, in contubernio iuuenum Regiorum Ardeę erat. Vbi cum forte in liberiore conuiuio coniugem suam unusquisque laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt: regias nurus in conuiuio & luxu deprehendunt: exinde

Collatiam petunt: Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt: ita ea pudicisſima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sex. nocte Collatiam rediјt, & iure propinquitatis in domum Collatini uenit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit. Pudicitiam expugnauit. Illa poſtera die aduocatis patre & coniuge rem expoſuit: & ſe cultro quem ueſte texerat, occidit. Illi in exitium regum coniurarunt, eorumq́ exilio necem Lucretiæ uindicauerunt.

DE IVNIO Bruto, primo Romanorum Conſule.

IVNIVS Brutus ſorore Tarquinij Superbi genitus, cum eandem fortunam timeret in quā frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab auunculo occiſus, ſtultitiam finxit, unde Brutus dictus. Iuuenibus regijs Delphos euntibus, ridiculi gratia comes aſcitus, baculo ſambuceo aurum inſu-

ſum deo donum tulit. Vbi reſponſum eſt, eum Romæ ſummam poteſtatem habiturum, qui primus matrem oſcularetur. Ipſe terram oſculatus eſt. Deinde propter Lucretiæ ſtuprum cum Tricipitino & Collatino in exitium Regũ coniurauit. Quibus in exilium actis, primus Conſul creatus, filios ſuos, fratriſq́ȝ, quod cum Aquilijs & Vitellijs ad recipiendum in urbem Tarquinios coniurauerant, uirgis cæſos ſecuri percuſsit. Deinde in prælio quod aduerſus eos gerebat, ſingulari certamine cũ Arunte filio Tarquinij congreſſus, ſe ambo mutuis uulneribus occiderunt: cuius corpus in foro poſitum, à collega laudatum, matronæ anno luxerunt.

DE HORATIO Coclite.

PORSENA rex Hetruſcorum cũ Tarquinios in urbem reſtituere tentaret, & primo impetu Ianiculum cepiſſet: Horatius Cocles, illo cognomine,

ne, quod in alio prælio oculum amiſerat, pro ponte Sublicio ſtetit, & aciem hoſtium ſuſtinuit, donec pons à tergo interrumperetur, cũ quo in Tyberim decidit, & armatus ad ſuos tranauit. Ob hoc ei tantum agri publicè datum eſt, quantum uno die circum arari potuiſſet: ſtatua quoque ei in Vulcanali poſita.

DE MVTIO Scæuola.

QVVM Porſena rex urbem obſideret, Mutius Scæuola Cordus, uir Romanæ conſtantiæ, ſenatum adijt: & ueniam transfugiendi petijt, necem regis repromittens. Accepta poteſtate in caſtra Porſenæ uenit. Ibique purpuratum pro rege deceptus occidit. Apprehenſus & ad regem pertractus, dexteram aris impoſuit: hoc ſupplicij ab ea exigens, quod in cæde peccaſſet. Vnde cum miſericordia regis abſtraheretur, quaſi beneficium re-

ferens, ait: trecentos aduersum eum, simileis coniurasse. Quare ille territus bellum acceptis obsidibus, deposuit. Mutio prata trans Tyberim data, ab eo Mutia appellata. Statua quoq; ei honoris gratia constituta est.

DE COELIA Virgine nobili.

PORSENA Cœliam uirginem nobilem inter obsides accepit, quæ deceptis custodibus noctu castris eius egressa, equum quem sors dederat arripuit, & Tyberim traiecit. A Porsena per legatos repetita, reddita: cuius ille uirtutem admiratus, cum quibus optasset, in patriam redire permisit. Illa uirgines pueros'q; elegit, quorum ætatem iniuriæ obnoxiam sciebat: huic statua equestris in foro posita.

DE MORTE Fabiæ gentis.

ROMANI cũ aduersum Veientes

tes bellarent, eos ſibi hoſteis familia Fabiorum priuato nomine depoſcit: & profecti trecenti ſex duce Fabio conſule fuerunt: cũ ſæpe iuctores extitiſſent, apud Cremeram fluuium caſtra poſuerunt. Veientes ad dolos conuerſi, pecora ex aduerſo in conſdectu illorum poſuerunt, ad quæ progreſsi Fabij inſidias delapſi, ad unum occiſione perierunt. Dies quo id factum, inter nefaſtos relatus. Porta qua ꝑfecti fuerant, Scelerata eſt appellata. Vnus ex ea gente propter impuberem ætatem domi relictus, genus propagauit ad Qu. Fabium Maximum, qui Hannibalem mora fregit. Cunctator ab obtrectatoribus dictus.

DE LVCIO Valerio Publicola.

LVCIVS Valerius Voleſi filius, primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertio de utriſque gentibus

trium-

triumphauit. Hic quia in locum Tricipitini collegæ nullum Consulem subrogauerat, & domum in Velia tutissimo loco habebat in suspicionẽ regni affectati uenit: quo cognito apud populum questus est, quod de se tale aliquid timuissent, immisit qui domum suam diruerent. Secures etiam fascibus dempsit, eosq́ in populi concione submisit. Legem de prouocatione à magistratibus ad populum tulit, hinc Publicola dictus. Cum diem obijsset, publicè, & annuo matronarum luctu honoratus est.

DE AVLO Posthumio Dictatore.

TARQVINIVS eiectus ad Mamilium Tusculanum generũ suum confugit: qui cum Latio concitato Romanos grauiter urgeret, Aulus Posthumius Dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus conflixit: ubi

cum

cum uictoria nutaret, magister equitū equis frænos detrahi iußit, ut irreuocabili impetu ferrentur. Vbi & aciem Latinorum fuderunt, & castra ceperunt. Sed inter eos duo iuuenes candidis equis insigni uirtute apparuerunt, quos Dictator quæsitos, ut dignis muneribus honoraret, non reperit. Castorem & Pollucem ratus, ædem cōmuni titulo dedicauit.

DE LVCIO Quintio Cincinnato.

LVCIVS Quintius Cincinnatus filium Cæsonem petulantißimum abdicauit: qui & a censoribus notatus ad Volscos & Sabinos confugit, qui duce Cęlio Graccho, bellum aduersum Romanos gerebant, & Quintum Minutium consulem in Algido monte obsidebant. Quintius Dictator dictus, ad quem mißi legati, nudum eum arantē trans Tyberim offenderunt: qui insig-

nibus sumptis, consulem obsidione liberauit, quare à Minutio & eius exercitu aurea Corona obsidionali donatus est. Vicit hosteis: ducem eorum in deditionem accepit, & triumphi die ante currum egit. Sextodecimo die dictaturam quam acceperat, deposuit, & ad agriculturam reuersus, iterum post uiginti annos Dictator dictus, Sp. Melium regnum affectantem, à Seruilio Hala magistro equitum occidi iussit, domum eius solo æquauit. Vnde locus ille Aequimelium dictus.

DE MENENIO Agrippa Romanæ pacis insigni arbitro.

MENENIVS Agrippa cognomento Lanatus, dux electus aduersum Sabinos, de ijs triumphauit. Et cum populus à patribus secessisset, quod tributum & militiam tolleraret, nec reuocari posset, Agrippa apud eũ:

Olim,

Olim, inquit, humani artus cum uentrem otioſum cernerent, ab eo diſcordarunt, & ſui illi miniſteriũ negauerunt: cum eo pacto & ipſi deficerent, intellexerunt uentrem acceptos cibos per omnia membra digerere, & cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus & populus quaſi unũ corpus diſcordia pereunt, concordia ualent. Hac fabula populus regreſſus eſt. Creauit tamen Tr. pleb. qui libertatem ſuam aduerſum nobilitatis ſuperbiam defenderent. Menenius autem tanta paupertate deceſsit, ut eum populus collatis quadrantibus ſepeliret. Locum ſepulchro ſenatus publicè daret.

DE GNEO Martio Coriolano.

GNEVS Martius captis Coriolis urbe Volſcorum, Coriolanus dictus, ob egregia militiæ facinora à Poſthumio optionem munerum accipiens,

piens, equum tantum, & hoſpitē ſumpſit, uirtutis & pietatis exemplum. Hic conſul graui annona aduectum'e Sicilia frumentum, magno pretio dandum populo curauit, ut hac iniuria plebs agros, non ſeditiones coleret. Ergo à Trib. pleb. Decio die dicta, ad Volſcos conceſsit, eosq́ duce Actio Tullio aduerſus Romanos cōcitauit, & ad quartum ab urbe lapidem caſtra poſuit. Cumq́ nullis ciuiū legationibus flecteretur, à Veturia matre, & Volumnia uxore matronarum numero comitata motus, omiſſo bello, ut proditor occiſus eſt. Ibi templum Fortunæ muliebri conſtitutum eſt.

DE LICINIO Stolone primo Conſule ex plebe

FABIVS Ambuſtus ex duabus filiabus alteram Licinio Stoloni, alteram Aulo Sulpitio Patricio coniugem dedit. Quarum plebeia cum ſororem

rorem ſalutaret, cuius uir Trib. militũ conſulari poteſtate erat, faſces lictorios foribus appoſitos indecenter expauit. A ſorore irriſa, marito queſta: qui adiuuante ſocero, ut primum tribunatũ pleb. aggreſſus eſt, legem tulit, ut alter Conſul ex plebe crearetur. Lex, reſiſtente Appio Claudio, lata tamen: & primus Licinius Stolo Conſul factus. Idem lege ſanciuit, ne cui plebeio plus centum iugera agri habere liceret. Et ipſe cum iugera centum quinquaginta haberet, & altera emancipati filij nomine poſſideret, in iudicium uocatus, & primus omnium ſua lege punitus eſt.

DE VIRGINIO Centurione filiæ occiſore.

POPVLVS Romanus cum ſeditioſos magiſtratus ferre non poſſet, Decemuiros legibus ſcribendis creauit: qui eas ex libris Solonis translatas duo-

duodecim tabulis exposuerunt. Sed cũ pacto dominationis magistratum sibi prorogarent: unus ex ipsis Appius Claudius Virginiam Virginij Centurionis filiam in Algido militantis adamauit: quam cum corrumpere nõ posset, clientem subornauit, qui eam in seruitutem deposceret, facile uicturus, cũ ipse esset accusator & iudex. Pater re cognita, cum ipso die iudicij sũ peruenisset, & filiam iam addictam uideret, ultimo eius eloquio impetrato, cum eã in secretum abduxisset, occidit: & corpus eius humero gerens, ad exercitum profugit, & milites ad uindicandum facinus accendit. Qui creatis decem tribunis Auentinũ occuparunt. Decẽuiros abdicare se magistratu praecepe runt, eosq; omnes, aut morte, aut exilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est.

DE AESCVLAPIO Romam aducto.

ROMANI ob pestilentiā responso monente, ad Aesculapium Epidauro accersendum decē legatos principe Qu. Volumnio miserunt. Qui cū eo uenissent, & simulacrum ingens mirarentur, anguis e sedibus eius elapsus uenerabilis, non horribilis, per mediā urbem cum admiratione omnium ad nauem Romanam perrexit, & se in Volumnij tabernaculo conspirauit. Legati deum uehentes, Antium prouecti sunt, ubi per mollitiem maris, anguis proximum Aesculapij fanum petijt, & post paucos dies ad nauem redijt, & cū aduerso Tyberi subueheretur, in proximam syluam desiluit: ubi templum ei constitutum, & pestilentia mira celeritate sedata est.

DE FVRIO Camillo urbis Rom. liberatore.

FVRIVS Camillus cū Phaliscos obsideret, ac ludi literarū magister prin-

principum filios ad eum adduxisset, uinctum eum iisdem pueris in urbem redigendum, & uerberandũ tradidit. Statim Phalisci se ei ob tantam iustitiam dediderunt. Veios decenni obsidione domuit, deq; iis triumphauit. Post modum crimini datum, quod albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset, die dicta ab Apuleio Tr. pleb. damnatus, Ardeam concesſit. Mox cum Galli Senones, relictis ob sterilitatem agris suis, Clusium Hetruriæ oppidum obsiderent, missi sunt Romani tres legati, qui Gallos monerent ut ab oppugnatione desisterent: ex his unus contra ius gẽtium in aciem processit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditionem legatis, nec impetratis, Romam petierunt: & exercitum Romanũ apud Aliam fluuium occiderunt, die xvi. kalend. Augusti, qui dies inter nefastos relatus, Alliensis dictus. Victores Gal

li urbem intrauerunt: ubi nobilissmos senum in curulibus & honorum insignibus, primo ut deos uenerati, deinde ut homines despicati interfecere. Reliqua iuuentus cum Manlio in Capitolium fugit, ubi obsessa Camilli uirtute seruata est, qui absens Dictator dictus, collectis reliquijs, Gallos improuisos internecione occidit. Pop. Rom. migrare Veios uolentē retinuit: sic & oppidum ciuibus, & ciues oppido reddidit.

DE MANLIO Capitolino.

MAnlius ob defensum Capitolium, Capitolinus dictus, sexdecim annorum uoluntarium se militem obtulit. Triginta septem militaribus donis a suis ducibus ornatus. uiginti tres cicatrices in corpore habuit. Capta urbe auctor in Capitoliū fugiendi. Quadam nocte clangore anseris exci-

tatus, Gallos aſcendentes deiecit. Patronus à ciuibus appellatus, & farre donatus. Donũ etiam in Capitolio publice accepit: qua ſuperbia elatus cum à ſenatu ſuppreſsiſſe Gallicos theſauros argueretur, & addictos propria manu liberaret, regni affectati ſuſpicione, in carcerem coniectus, populi conſenſu liberatus eſt. Rurſus cum in eadem culpa & grauius perſeueraret, & reus factus, & ob conſpectum Capitolij ampliatus, alio deinde loco damnatus, & de ſaxo Tarpeio præcipitatus. Domus diruta, bona publicata. Gentilitas eius Manlij cognomine iurauit, neq́s poſtea Capitolinus uocaretur.

DE CORNELIO Coſſo.

FIDENATES fidei Romanorũ hoſtes, ut ſine ſpe ueniæ fortius dimicarent, legatos ad ſe miſſos interfecerunt. Ad quos Quintius Cincinnatus Dictator miſſus magiſtrum equitum habuit

habuit Cornelium Cossum qui Lartem Tolumnium ducem sua manu interfecit. De eo spolia opima Ioui Feretrio secundus à Romulo consecrauit.

DE PVBLIO Decio patre.

PVblius Decius Mus bello Samnitico sub Valerio Maximo, & Cornelio Cosso consulibus, Trib. militum, exercitu in angustijs Gauri montis insidijs hostium clauso, accepto, quod postulauerat, præsidio, in superiorum locum euasit, hosteis terruit. Ipse intempesta nocte per medias custodias somno oppressas incolumis euasit. Ob hoc ab exercitu Ciuica corona de quercu, quæ dabatur ei, qui ciueis in bello seruasset: obsidionali, quæ dabatur ei, qui obsidione ciueis liberasset, donatus est. Consul bello Latino collega Manlio Torquato, positis apud Veserim fluuium castris, cum utrique consuli somnio obuenisset, eos uictores futuros, quorũ

dux in prælio cecidisset: quum collato cum collega somnio conuenisset, ut cuius cornu in acie laboraret, dijs se manibus uoueret: inclinante sua parte, se & hosteis per Valerium pontificem dijs manibus deuouit. Impetu in hosteis facto, uictoriam suis reliquit.

DE PVBLIO Decio filio.

PVblius Decius Decij filius, primo consul de Samnitibus triumphauit. Spolia de ijs Cereri consecrauit. Iterum & tertio consul multa domi, militiæq́ gessit. Quarto consulatu cũ Fabio Maximo, cum Galli, Samnites, Vmbri, Tusci contra Romanos conspirassent, ibi exercitu in acië ducto, & cornu inclinante, exemplũ patris imitatus, aduocato Marco Liuio pontifice, hastę insistens, & solennia uerba respondens, se & hosteis dijs manibus deuouit, impetu in hosteis facto, uictoriam suis reliquit. Corpus à collega delatũ magnificè sepultum est.

De

DE TITO Manlio Torquato.

Titus Manlius Torquatus ob ingenij & linguæ tarditatem, à patre rus relegatus, cum audiſſet ei diem dictam à Pomp. Tribuno Pleb. nocte urbem petijt. Secretum colloquium à tribuno impetrauit, & gladio ſtricto, dimittere eum accuſationem terrore multo compulit. Sulpitio dictatore, Trib. militum, Gallum prouocatorem occidit, torquem ei detractum ceruici ſuę induit. Conſul bello Latino, filium ſuum, quod contra imperium pugnaſſet, ſecuri percuſsit. Latinos apud Veſerim fluuium Decij collegæ deuotione ſuperauit. Conſulatum recuſauit, quod diceret, neq; ſe populi uitia, neque illũ ſeueritatem ſuam poſſe ſufferre.

DE VALERIO Coruino.

Reliquias Senonum Camillus perſequebatur: aduerſum ingentem

Gallum prouocatorem solus Valerius Tribunus militum, omnibus territis, processit. Coruus ab ortu solis galeæ eius insedit, & inter pugnandum ora, oculosque Galli uerberauit. Hoste deuicto, Valerius Coruinus dictus. Hic cum ingens multitudo ære alieno oppressa, Capuam occupare tentasset, & ducē sibi Quintium necessitate cōpulsum fecisset, sublato ære alieno, seditionem compressit.

DE PONTIO Thelesino.

CAius Veturius, & Spurius Posthumius consules, bellum aduersum Samnites gerentes, à Pontio Thelesino duce hostium insidias seducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui Romanis dicerent Luceriam à Samnitibus obsideri in Apulia, quo duo itinera ducebant, aliud longius, & tutius: aliud breuius, & periculosius. Festinantibus itaque, cum insidias statuisset,

tuiſſet, qui locus furculæ Caudinæ uocatur, Pontius accitum patrem Herennium rogauit, quid fieri placeret. Ille ait: aut omneis occidendos, ut uires frangerentur: aut omneis dimittendos, ut beneficio obligarentur. Vtroque improbato conſilio, omneis ſub iugũ miſit icto fœdere, quod à Romanis improbatum eſt. Poſthumius Samnitibus deditus, nec receptus eſt.

DE LVCIO Papyrio Curſore.

LVcius Papyrius à uelocitate Curſor, cum conſulem ſe aduerſis omnibus aduerſum Samnites progreſſum eſſe ſenſiſſet, ad auſpicia repetenda Romam regreſſus, edixit Fabio Rutiliano, quem exercitui præponebat, ne manum cum hoſte conſereret. Sed ille opportunitate ductus, pugnauit: reuerſus eum ſecuri ferire uoluit. Ille in urbem confugit, nec ſupplicem Tribuni tue-

 bantur.

bantur. Deinde pater lachrymis, popu lus precibus ueniam impetrarunt. Papyrius de Samnitibus triumphauit. Idem Præneste cum prætorem grauissime increpuisset: expedi, inquit, lictor secures. Et cum eum metu mortis attonitum uidisset, incommodam ambulantibus radicem excidi iussit.

DE QVINTO Fabio Rutiliano.

QVintius Fabius Rutilianus, primus ex ea familia ob uirtutem Maximus, magister equitum à Papyrio Cursore securi penè percussus. Primum de Apulis & Nucerinis, iterũ de Samnitibus, tertio de Gallis, Vmbris, Marsis, atq; Tuscis triumphauit. Censor Libertinos tribus amouit. Iterum censor fieri noluit, dicens non esse ex usu reipub. eosdem censores sæpius fieri. Hic primus instituit, ut equites Romani, Idibus Quintilibus ab æde

Honoris equis insidentes, in Capitolium transirent. Mortuo huic tantum æris populi liberalitate congestum, ut inde filius uisceratione, & epulas publice daret.

DE MARCO Curio Dentato.

MArcus Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphauit, quos usque ad mare superum perpacauit. Regressus concione ait: Tantum agri cepi, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem: tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepissem. Iterum de Sabinis triumphauit. Tertio de Lucanis ouans urbem introiuit. Pyrrhũ regem Epeirotarum Italia expulit: qua terna dena agri iugera uiritim populo diuisit. Sibi deinde totidem constituit, dicens neminem esse debere cui nõ tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum

rum offerentibus, cum ipse in foco rapas torreret: Malo, inquit, hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare. Cum interuersæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit: iurauitq́ꝫ se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Aquam deinde Anienem manibus hostium in urbem induxit. Trib. pleb. patres auctores fieri coegit comitijs, quibus plebeius magistratus creabatur. Ob hæc merita domus ei apud Typhatam, & agri iugera quingenta publice data.

DE APPIO Claudio Cæco.

APpius Claudius Cæcus, in censura libertinos quoque in senatum legit. Epulandi, decantandiq́ꝫ ius tibicinibus in publico ademit. Duæ familiæ ad Herculis sacra sunt destinatæ, scilicet Potitiorum & Pinariorũ. Potitios Herculis

Herculis sacerdotes pretio corrupit, ut sacra Herculea seruos publicos edocerent, unde cæcatus est. Gens Potitiorũ funditus periјt. Ne consulatus cũ plebeis communicaretur, acerrimè restitit: ne Fabius solus ad bellũ mitteretur, cõtradixit. Sabinos, Samnites, Hetruscos bello domuit. Viam usque Brundusium strauit lapidibus. Vnde illa Appia dicta est. Aquam Anienem in urbem induxit. Censuram solus omniũ quinquennio obtinuit. Cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cyneam pretio quæreretur, senex & cæcus lectica in senatum latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.

DE PYRRHO Epeirotarum rege.

PYrrhus rex Epeirotarum, materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, cum imperium orbis agitans,

agitans, Romanos potentes uideret, Apollinem de bello consuluit. Ille ambiguè respondit: Aio te Aeacida Romanos uincere posse. Hoc dicto in uoluntatem tracto, auxilio Tarentinis uenit, bellũ Romanis intulit. Leuinium consulem apud Heracleam, elephantorum nouitate turbauit. Cumq́ Romanos aduersis uulneribus occisos uideret: Ego, inquit, talibus uiris breui orbem terrarum subigere potuissem. Amicis gratulantibus, Quid mihi cum tali uictoria, inquit, ubi exercitus robur amittam? Ad uigesimum ab urbe lapidem castra posuit: captiuos Fabricio gratis reddidit. Viso Leuinij exercitu, eandem sibi ait aduersum Romanos, quam Herculi aduersus Hydram fuisse fortunam. A Curio & Fabricio superatus, Tarentum refugit. In Siciliam traiecit. Mox in Italiam Locros regressus, pecuniam Proserpinæ auehere tentauit. Sed ea naufragio elata est.

Tum

Tum in gratiam regressus, dū Argos oppugnaret, ictu tegulę prostratus est. Corpus ad Antigonum Macedoniæ regem delatum, magnificè sepultum.

DE VOLSINIIS.

VOlsinij, Hetruriæ nobile oppidū, luxuria penè perierunt. Nam cum temerè seruos manumitterent, dum in curiam legerent, consensu seruorum oppressi, cum multa indigna paterentur, clàm Romæ auxilium petierunt. Missúsq; Decius Muræna, moxlibertinos omnes, aut in carcere necauit, aut dominis in seruitutem restituit.

DE APPIO Claudio Caudace.

APpius Claudius uictis Carthaginiensibus cognomento Caudax, frater cæci fuit. Consul ad Mamertinos liberandos missus. Quorum arcem Carthaginienses & Hiero rex Syracusa

nus

nus obsidebant. Primo ad explorandos hosteis fretum piscatoria naue traiecit, & cum duce Carthaginiensium egit, ut præsidium arce deduceret. Rhegium regressus, quinqueremem hostium copijs pedestribus cepit, phalangem in Siciliam traduxit. Carthaginienses Messana expulit. Hierona regem prælio apud Syracusas in deditionẽ accepit, qui eo periculo territus, Romanorum amicitiam petijt, eisq; postea fidelissimus fuit.

DE CNEO Duillio, & Himilcone Pœnorum duce.

CNeus Duillius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, cũ uideret eos multum mari posse, classem magis ualidam, quàm decoram fabrefecit. Et (quas coruos uocauere) manus ferreas, cum irrisu hostium primus instituit; quibus inter pugnandũ ho-

hostium naueis apprehendit, qui uicti, & capti sunt. Himilco dux classis Carthaginem fugit & a senatu quæsiuit, quid faciendum censerent? Omnibus ut pugnaret acclamantibus: Feci, inquit, & uictus sum. Sic pœnam crucis effugit. Nam apud Pœnos dux malè re gesta puniebatur. Duillio cõcessum est, ut prælucente funali, & præcinente tibicine, à cœna publicè rediret.

DE ATTILIO Calatino.

ATtilius Calatinus dux Romanorum aduersus Carthaginienses missus, maximis & munitissimis ciuitatibus, Aena, Drepano, Lilybæo, hostilia præsidia deiecit. Panormum cepit. Totamq; Siciliam peruagatus, paucis nauibus magnam hostium classem, duce Hamilcare superauit. Sed cum ad Camerinam ab hostibus obsessam festinaret, à Pœnis in angustijs clausus est; ubi Trib. militum Calpurnius

Flam-

Flamma, acceptis trecentis in superiorem locũ euasit. Consulem liberauit. Ipse cum trecentis pugnans cecidit, & postea ab Attilio semianimis inuentus, & sanatus, magno postea terrori hostibus fuit. Attilius gloriose triumphauit.

DE MARCO Attilio Regulo.

MArcus Attilius Regulus consul fusis Salentinis, triumphauit. Primusq́ Romanorum ducum in Africam classem traiecit: quassatas, duce Hamilcare, naueis longas treis & sexaginta accepit. Oppida ducenta, & hominum ducenta milia cepit: absente eo, coniugi, & eius liberis ob paupertatẽ sumptus publice dati. Mox arte Xantippi Lacedæmonij mercenarij militis captus, in carcerem missus. Legatus de permutandis captiuis Romam missus, dato iureiurando, ut si nõ impetrasset,

ita

ita demum rediret: in senatu conditionem dissuasit. Reiectisq; a se coniuge & liberis, Carthaginem regressus, ubi in arcam ligneam coniectus, clauis introrsum adactis, uigilijs ac dolore punitus est.

DE QVINTO Luctatio Catulo.

QVintus Luctatius Catulus primo Punico bello trecentis nauibus aduersum Pœnos profectus, sexcentas eorum naueis commeatibus, & alijs oneribus impeditas duce Himilcone apud Aegathes insulas inter Siciliam & Africam depressit, finemq; bello imposuit. Pacem petentibus hac conditioue concessit, ut Sicilia, Sardinia, & cæteris insulis intra Italiam Africamq; decederent. Hispania citra Hiberum fluuium abstinerent.

DE HANNIBALE Carthaginiensi duce.

HAnnibal Hamilcaris filius undecim annos natus, à patre aris admotus, odium in Romanos perenne iurauit. Exinde socius & miles in castris patris fuit. Mortuo eo, causam belli quærens, Saguntum Romanis fœderatam, intra sex menses euertit. Tum alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam, Flamminium apud Trasimenum, Paulum & Varronem apud Cannas superauit. Cumque urbem capere posset, in Campaniã diuertit, cuius delicijs elanguit, & cum ad tertium ab urbe lapidem castra posuisset, tempestatibus repulsus. Primum à Fabio Maximo frustratus: deinde à Valerio Flacco repulsus, à Graccho & Marcello fugatus, in Africam reuocatus, à Scipione superatus, ad Antiochum regem Syriȩ confugit, eumque hostẽ Romanis fecit, quo uicto ad Prusiam Bithyniæ regem concessit.

Vnde

Vnde Romam legatione repetitus, hausto quod sub annuli gemma habebat, ueneno absumptus est. Positus apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodie quoque inscriptum est: Hannibal hic situs est.

DE QVINTO Fabio Maximo.

FAbius Maximus Cunctator, ut Verrucosus à uerruca in labris, ita Ouicula à clementia morum. Consul de Liguribus triumphauit. Hannibalem mora fregit. Minutium magistrũ equitum imperio ęquari sibi passus est, & nihilominus periclitanti subuenit. Hannibalem in agro Falerno inclusit. Manlium Statilium transfugere ad hostes uolentem, equo & armis donatis, retinuit. Et Lucano cuidam fortissimo ob amorem mulieris infrequenti, eandem emptam dono dedit. Tarentum ab hostibus recepit; Herculis signum

inde translatum in Capitolio dedicauit. De redemptione captiuorum cum hostibus pepigit. Quod pactum cum à senatu improbaretur, fundum suum ducentis milibus uendidit, & fidei satisfecit.

DE PVBLIO Scipione Nasica.

PVblius Scipio Nasica à senatu uir optimus iudicatus, Matrem deum hospitio recepit, cum aduersum auspicia consulem se à Graccho nominatũ comperisset, magistratu se abdicauit. Censor statuas quas sibi quisque in foro per ambitionem ponebat, sustulit. Consul Delminium urbem Dalmatarum expugnauit. Imperatoris nomen à militibus, & ab senatu triumphum recusauit oblatũ. Eloquentia primus, iuris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus. Vnde uulgo Corculũ dictus.

De

DE MARCO Marcello.

MArcus Marcellus Viridomarum Gallorum ducem ſingulari prælio fudit: ſpolia legit apud Nolam. Hannibalẽ primus locorũ anguſtia adiutus uinci docuit. Syracuſas per treis annos expugnauit. Et cum per calumniam triumphus ei à ſenatu negaretur, de ſua ſententia in Albano monte triumphauit. Quinquies conſul inſidijs Hannibalis deceptus, occubuit, & magnificè ſepultus. Oſſa Romam remiſſa, à prædonibus intercepta, perierunt.

DE LIVIA Claudia uirgine Veſtali.

HAnnibale Italiam deuaſtante, ex reſponſo librorum Sibyllinorum Mater deum è Peſsinunte accerſita, cũ aduerſo Tyberi ueheretur, repente in alto ſtetit: & cum moueri nullis uiribus poſſet, ex libris cognitum eſt, caſtiſ

ſimæ demum fœminæ manu moueri poſſe. Tum Claudia uirgo Veſtalis falſo inceſtus ſuſpecta, deam orauit, ut ſi pudicam ſciret, ſequeretur, & Zona impoſita nauem mouit. Simulachrum Matris deum aduexit. Templum ædificauit Naſica, qui uir optimus iudicabatur.

DE MARCO Portio Catone.

MArcus Portius Cato, genere Tuſculanus, à Valerio Flacco Romam ſollicitatus, Trib. militum in Sicilia, Queſtor ſub Scipiõe fortiſsimus, Prætor iuſtiſsimus fuit. In prætura Sardiniam ſubegit, ubi ab Ennio literis Græcis inſtitutus. Conſul Celtiberos domuit. Et ne rebellare poſſent, literas ad ſingulas ciuitates miſit, ut muros diruerent: cum unaquæqꝫ ſibi ſoli imperari putaret, fecerunt. Syriaco bello Trib. militũ ſub M. Attilio Glabrione,

ne, occupatis Thermopylarum iugis, subsidium hostium depulit. Censor Lucium Flamminium consularem senatu mouit, quod ille in Gallia ad cuiusdam scorti spectaculum eductum quẽdam e carcere in conuiuio iugulari iussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis ornamenta erepta, Oppia lege repetentibus, restitit. Accusator assiduus malorum, Galbam octogẽarius accusauit. Ipse quadagies quater accusatus, gloriose absolutus. Carthaginem delendam censuit. Post octoginta annos filium genuit. Imago huius funeris gratia produci solet.

DE CLAVDIO Nerone & Hasdrubale fratre Hannibalis.

HAsdrubal frater Hannibalis ingentibus copijs in Italiam traiecit. Actum'que erat de Rom. imperio, si con-

iungere Hannibal copias potiusset. Sed Claudius Nero qui in Apulia cū Hannibale castra coniunxerat, relicta in castris parte, cum delectis ad Hasdrubalem properauit. Et se Liuio Collegæ apud Senam oppidum, & Metaurum flumē coniunxit: amboq́ Hasdrubalem uicerunt. Nero regressus, pari celeritate, qua uenerat, caput Hasdrubalis ante uallū Hannibalis proiecit. Quo ille uiso uinci se fortuna Carthaginis confessus est. Ob hæc Liuius triumphans, Nero ouans, urbem introierunt.

DE PVBLIO Cornelio Scipione Africano.

PVblius Scipio, ex uirtutibus cognominatus Africanus, Iouis filius creditus. Nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris apparuit. Et ipsi paruulo draco circumfusus nihil nocuit. In Capitolium intempesta nocte

nocte eunti, nunquam canes allatrauerunt. Nec hic quicquam prius cœpit, quàm in cella Iouis diutissimè sedisset, quasi diuinam mentem accepisset. Decem & octo annorum patrem apud Ticinum singulari uirtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes Italiam deserere cupientes, sua auctoritate compescuit. Reliquias incolumeis per media hostium castra Canusium perduxit. Vigintiquatuor annorum prætor in Hispaniam missus, Carthaginem qua die uenit, cœpit. Virginem pulcherrimam, ad cuius aspectum concurrebatur, ad se uetuit adduci, patríque eius, ac sponso restitui iussit. Hasdrubalẽ, Magonemque fratres Hannibalis, Hispania expulit. Amicitiam cum Syphace Maurorum rege coniunxit. Massinissam in societatem recepit. Victor domum regressus, consul ante annos factus concedente collega in Africam classe traiecit. Hasdrubalis & Sy-

D 5 phacis

phacis castra una nocte perrupit. Reuocatum ex Italia Hannibalem superauit. Victis Carthaginiensibus leges imposuit. Bello Antiochi, legatus fratri fuit. Captum filium gratis recepit. A Petilio Acteo Trib. plebis repetundarum accusatus, librum rationum in cōspectu populi scidit: Hac die, inquit, Carthaginem uici, quasi bonum factū: in Capitolium eamus, & dijs supplicemus. Inde in uoluntarium exilium concessit, ubi reliquam egit ætatem. Moriens ab uxore petijt, ne corpus suum Romam referretur.

DE LIVIO Salinatore.

Liuius Salinator, primo consul de Illyrijs triumphauit: deinde ex inuidia peculatus reus ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus. Iterum cum Claudio Nerone inimico suo consul, ne respublica discordia male administraretur, amicitiam cum eo

in

iniunxit, & de Hasdrubale triumphauit. Censor cum eodem collega, omnes tribus (excepta Metia) ærarias fecit. Stipendio priuauit eo crimine, quod aut prius se iniustè condemnassent, aut postea tantos honores non rectè tribuissent.

DE TITO Quintio Flamminio.

Titus Quintius Flamminius, Flaminij (qui apud Thrasimenum perijt) filius. Consul Macedoniam sortitus, ducibus Charopis principis pastoribus prouinciam ingressus, regem Philippum prælio fudit, castris exuit: filium eius Demetrium obsidem accepit, quem pecunia multatum in regnũ restituit. A Nabide quoque Lacedæmonio filium obsidem accepit. Liberos esse Græcos Nemeæ per preconem pronuntiauit. Legatus etiam ad Prusiam, ut Hannibalem repeteret, missus.

De

DE QVINTO Fuluio Nobiliore.

QVintus Fuluius Nobilior consul Aetolos, Ambraciotasq́ superauit. Vnde ouans urbē introijt. Consul Achæos (qui bello Macedonico interfuerant) post ad Antiochum defecerant, prælijs frequentibus uictos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditionem accepit: tamen signis tabulisq́ pictis spoliauit, de qbus triumphauit: quam uictoriam, per se magnificam, M. Ennius amicus eius insigni laude celebrauit.

DE LVCIO Scipione Asiatico.

SCipio Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa uirtutis nomine à fratre laudatus. Consul Antiochum regē Syriæ, legato fratre apud Sipylum montem, cum arcus hostium

ſtium pluuia hebetati fuiſſent, uicit. Et regni relicti à patre parte priuauit: hinc Aſiaticus dictus. Poſt reus pecuniæ interceptæ, ne in carcerem duceretur, Gracchus Tr. pleb. interceſsit. Marcus Cato cenſor, equum ei ignominiæ cauſa ademit.

DE ANTIOCHO Rege Syriæ.

ANtiochus Syriæ rex, nimia opum fiducia bellum Romanis intulit, ſpecie Lyſimachiæ urbis repetendæ, quam à maioribus ſuis in Thracia conditam Romani poſsidebant. Statimq; Græciam, inſulasq; eius occupauit. In Euboea luxuria elanguit: aduentu Attilij Glabrionis excitus Thermopylas occupauit, unde induſtria Marci Catonis eiectus, in Aſiam refugit. Nauali prælio, cui Hannibalem præfecerat, à Lucio Aemilio Regillo ſuperatus, filium Scipionis Africani, quem inter na-

uigan-

uigandũ ceperat, patri remisit: qui ei, quasi pro reddenda gratia suasit, ut amicitiam Romanam peteret. Antiochus spreto consilio, apud Sipylum montẽ, cum Lucio Scipione conflixit. Victus, & ultra Taurum montem relegatus, à sodalibus quos temulentus in conuiuio pulsauerat, occisus est.

DE CNEO Manlio Volsone.

CNeus Manlius Volso, missus ad ordinandã Scipionis Asiatici prouinciam, cupiditate triumphi bellum Pisidijs & Gallogræcis (qui Antiocho affuerant) intulit. His facile uictis, inter captiuos uxor regis Ortiagontis centurioni cuidam in custodiam data, à quo ui stuprata, de iniuria tacuit. Et post impetrata redemptione, marito adulterum Centurionem interficiendum tradidit.

DE LVCIO Aemilio Paulo Macedonico.

LVcius Paulus Aemilius, filius eius qui apud Cannas cecidit, primo cõsulatu (quem post treis repulsas adeptus erat) de Liguribus triumphauit. Rerum gestarum ordinem in tabula pictum publice posuit. Iterum consul Persem Philippi filium regem Macedonum apud Samothracas cepit: quẽ uictum fleuit, & assidere sibi iussit: tamen in triumphum duxit. In hac lætitia duos filios amisit: & progressus ad populum, gratias fortunæ egit, quod si quid aduersi reipub. imminebat, sua esset calamitate decisum. Ob hæc omnia, & à populo & à senatu concessum est, ut ludis Circensibus triumphali ueste uteretur. Ob huius licentiam & paupertatem, post mortem eius dos uxori, nisi uenditis possessionibus, non potuit exolui.

DE TIBERIO Sempronio Graccho.

Tibe-

Tiberius Sempronius Gracchus nobilissima familia ortus, Scipionẽ Asiaticum (quamuis inimicum) duci in carcerem nõ est passus. Prætor Galliam domuit, consul Hispaniam. Altero consulatu Sardiniam: tantumq; captiuorum adduxit, ut longa uenditione res in prouerbium ueniret, Sardi Venales. Censor libertinos qui rusticas tribus occuparant, in quatuor urbanas diuisit. Ob quod à populo collega eius Claudius (nam ipsum auctoritas tuebatur) reus factus. Et cum eum duę classes condemnassent, Tiberius iurauit se cum illo in exilium iturum. Ita reus absolutus est. Et cum in domo Tiberij duo angues e geniali toro repsissent, responso dato, eum de dominis periturũ, cuius sexus anguis fuisset occisus: amore Corneliæ coniugis, marem interfici iussit.

DE PVBLIO Scipione Aemiliano.

SCipio Aemilianus, Pauli Macedonici filius, à Scipione Africano adoptatus, in Macedonia cũ patre agens, uictum Persem tam pertinaciter persecutus est, ut media nocte in castra redierit. Lucullo in Hispaniã legatus apud Intercatiam oppidum, prouocatorem singulari prælio uicit. Muros hostiles ciuitatis primus ascendit. Trib. in Africa sub Tito Manlio imperatore, cohortes octo obsidione uallatas, consilio & uirtute seruauit, à quibus corona obsidionali donatus. Cum ædilitatem peteret, consul ante annos ultro factus. Carthaginẽ intra sex menses deleuit. Numantiã in Hispania (correpta prius militum disciplina) fame uicit: hinc Numantinus dictus. C. Lælio plurimũ usus. Ad reges adeundos missus, duos secum præter eum seruos duxit. Ob res gestas superbus Gracchum iure occisum uideri respondit. Obstrepente

populo: Taceant, inquit, quibus Italia nouerca est, nō mater, & addidit, Quos sub corona uendidi. Censor, Mummio collega segniore in senatu, ait: Vtinam mihi collegam aut dedissetis, aut nō dedissetis. Suscepta Agrariorum causa, domi repente exanimis inuentus, obuoluto capite elatus, ne liuor in ore appareret. Huius patrimonium tam exiguū fuit, ut triginta duas libras argenti, duas & semilibram auri reliquerit.

DE AVLO Hostilio Mancino.

AVlus Hostilius Mancinus prætor, aduersum Numantinos (uetantibus auibus, & nescio qua uoce reuocante) profectus, cum ad Numantiam peruenisset, exercitum Pompeij acceptum prius corrigere decreuit, inde solitudinem petijt. Eo die Numantini forte sollenni nuptu filias locabant, & unam speciosam duobus com-

competentibus, pater puellæ conditionem tulit, ut ei illa nuberet, qui hostis dextram attulisset. Profecti iuuenes, abscessum Romanorum in modum fugæ properantium cognoscunt: rem ad suos referunt. Illi statim quatuor milibus, uiginti milia Romanorum ceciderunt. Mancinus, auctore T. Graccho quæstore in leges hostium fœdus percussit: quo per senatũ improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus, augurio in castra deductus, præturam postea consecutus est.

DE LVCIO Mummio Achaico.

LVcius Mummius deleta Achaia Achaicus: aduersus Corinthios missus, uictoriam alieno labore quæsitam intercepit. Nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset, & duce Critolao priuasset, cum lictoribus & paucis equitibus in Me-

telli castra properauit. Corinthios apud Leucopetram uicit, ducr Dioneo, qui domum refugit, eamq; incendit. Coniugẽ interfecit, & se in ignem praecipitauit, excepto ipso nemo interijt. Mummius Corinthũ signis, tabulisq; spoliauit, quibus cum totam replesset Italiam, in domum suam nihil contulit.

DE QVINTO Caecilio Metello Macedonico.

QVintus Caecilius Metellus, à domita Macedonia Macedonicus, praetor Pseudo Philippum (qui idẽ Andriscus dictus est) uicit. Achęos bis prelio fudit, triumphandos Mummio tradidit. Inuisus plebi ob nimiam seueritatem: & ideo tertio post duas repulsas consul ægre factus, Arbachos in Hispania domuit. Apud Contrebiam oppidum cohortes loco pulsas redire, & locum recipere iussit. Cum omnia proprio & subito cõsilio ageret, & amico

amico cuidã quid acturus esset roganti: Tunicam, inquit, meam exurerem, si eam meum consilium scire existimarem. Hic quatuor filiorum pater, supremo tempore humeris eorum ad sepulchrũ latus est, ex quibus tres consules, unum etiam triumphantem uidit.

DE QVINTO Cæcilio Metello Numidico.

QVintus Cæcilius Metellus Numidicus, qui de Iugurtha rege triumphauit, Censor, Quintium (qui se Tiberij Gracchi filium mentiebatur) in censum non recepit. Idem in legem Apuleiam, per uim latam, iurare noluit. Quare in exilium actus, Smyrnæ exulauit. Claudia deinde rogatione reuocatus, cum ludis forte literas in theatro accepisset, non eas prius legere dignatus est, quàm spectaculum finiretur. Metellum sororis suæ uirũ laudare noluit, quod is olim suum iudicium & leges detrectarat.

DE QVINTO Metello Pio.

QVintus Metellus Pius Numidici filius: Pius, quia patrē lachrymis & precibus assidue ab exilio reuocauit. Prætor bello sociali Qu. Pompedium Marsorum ducem interfecit. Consul in Hispania Herculeios fratres oppressit. Sertorium Hispania expulit. Adolescens in petitione præturæ & pontificatus, consularibus uiris prælatus est.

DE TIBERIO Graccho.

TIberius Gracchus, Africani ex filia nepos, Quæstor Mancino in Hispania fœdus eius flagitiosum probauit. Periculum deditionis (eloquentiæ gratia) effugit. Trib. pleb. legem tulit, ne quis plus mille agri iugera haberet. Octauio collega intercedente, nouo exemplo magistratu abrogauit. Deinde tulit, ut ea famlia, quę de Attali

hæreditate erat, ageretur, & populo diuideretur. Deinde cum prorogare sibi potestatem uellet, aduersus auspicia in publicum processit, statimq́ue Capitoliũ petijt, manum ad caput referens, qua salutem suam populo commendauit. Hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceretur. Segniterq́ue, cessante Mutio consule, Scipio Nasica sequi se iussit, qui saluam rempublicam uellent. Gracchum in Capitolium persecutus oppresit. Cuius corpus Lucretij ædilis manu in Tyberim missum. Vnde ille Vespillo dictus. Nasica ut inuidiæ subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus est.

DE CAIO Gracco.

CAius Gracchus pestilentem Sardiniam quæstor sortitus, non ueniente successore, sua sponte discessit. Asculanæ & Fregellanæ defectionis inuidiã sustinuit. Trib. pleb. agrarias &

frumentarias leges tulit. Colonos etiã Capuam & Tarentum mittendos censuit. Triumuiros agris diuidendis se, & Fuluium Flaccum, & Caium Crassum constituit. Minutio Rufo Trib. pleb. legibus suis abrogante, in Capitolium uenit: ubi cum Attilius præco Opimij consulis in turba fuisset occisus, in forum descendit, & imprudens concionẽ à Trib. pleb. auocauit. Quare accersitus cum in Senatum non uenisset, armata familia Auentinum occupauit. Vbi ab Opimio uictus, dum à templo Lunæ desilijt, talum intorsit: & Pomponio amico apud portam Trigeminam, P. Lectorio in ponte Sublicio persequentibus resistente, in lucũ Furinæ peruenit. Ibi uel sua, uel serui Euphori manu interfectus, caput à Septimuleio amico Gracchi ad Opimium relatũ, auro expensum fertur, propter auaritiam infuso plumbo grauius effectum.

DE MARCO Liuio Druso.

MArcus Liuius Drusus, genere & eloquentia magnus, sed ambitiosus, & superbus, Aedilis munus magnificentissimum dedit. Et ibi Rubrio collegæ quædam de utilitate reipub. suggerente: Quid tibi, inquit, cum respub. nostra? Quæstor in Asia nullis insignibus uti uoluit, ne quid ipso esset insignius. Trib. pleb. Latinis ciuitatē, plebi agros, equitibus curiam, senatui iudicia permisit. Nimiæ liberalitatis fuit. Ipse etiam professus, nemini se ad largiendum præter cœlum & cœnum reliquisse. Ideoq; cum pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Magulsam Mauritaniæ principem, ob regis simultatem profugum, accepta pecunia Bocho prodidit, quē ille Elephanto obiecit. Adherbalem filium regis Numidarum obsidem domi suæ sumpsit,

redemptionem eius occultè à patre ſperans. Cœpionem inimicum actionibus ſuis reſiſtentem, ait ſe de ſaxo Tarpeio præcipitaturum. Conſuli legibus agrarijs reſiſtenti, ita collum in comitio obtorſit, ut multus ſanguis è naribus efflueret: quę ille luxuria cõprobans, morti iam detrudi ſe dicebat. Deinde ex gratia in inuidiã uenit. Nam plebs acceptis agris gaudebat, expulſi dolebant, Equites lecti lętabantur. Senatus permiſsis iudicijs exultabat: ſed ſocietatem cum equitibus ægrè ferebat. Vnde Liuius anxius, ut Latinorum poſtulata differret, qui promiſſam ciuitatem flagitabant, repente in publico concidit, ſiue morbo comitiali, ſiue hauſto caprino ſanguine, ſemianimis domum relatus. Vota pro illo per Italiam publicè ſuſcepta ſunt. Et cum Latini conſulem in Albano monte interfecturi eſſent, Philippum admonuit, ut caueret. Vnde in ſenatu accuſatus, cũ domum

domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Inuidia cædis apud Philippum & Cœpionem fuit.

DE CAIO Mario patre.

CAius Marius, septies consul, Arpinas humili loco natus, primis honoribus per ordinem functus, legatus Mettello in Numidia, criminando consulatum adeptus, Iugurtham captum ante currũ egit. In proximum annum consul ultro factus, Cymbros in Gallia apud aquas Sextias, Theutonas in Italia in campo Caudio uicit, deq; his triumphauit. Vsq; ad sextum consulatũ per ordinem factus, Apuleium Trib. pleb. & Glauciam prætorem seditiosos, ex senatusconsulto interemit. Et cum Sulpitia rogatione prouinciam Syllæ eriperet, armis ab eo uictus, Minturnis in palude latuit. Inuentus & in carcerem coniectus, immissum percussorem Gallum, uultus auctoritate deterruit.

terruit. Acceptaq́ nauicula in Africam traiecit. Ibi diu exulauit. Mox Cinnana dominatione reuocatus, ruptis ergastulis, exercitum fecit, cæsisq́ inimicis iniuriam ultus, septimo consulatu (ut quidam ferunt) uoluntaria morte decessit.

DE CAIO Mario filio.

CAius Marius filius, uiginti quinque annorum consulatum inuasit, quem honorem tam immaturum mater fleuit. Hic patri sæuitia similis, curiam armatus obsedit, inimicos trucidauit, quorum corpora in Tyberim præcipitauit. In apparatu belli quod contra Syllam parabatur, apud Sacriportum, uigilijs & labore defessus, sub dio requieuit, & absens uictus, fugæ, non pugnæ interfuit. Præneste refugit, ubi per Lucretium Offellam obsessus, tentata per cuniculum fuga, cum omnia septa intelligeret, iugulandũ se Pontio Thelesino præbuit.

De

DE LVCIO Cornelio Cinna.

LVcius Cornelius Cinna flagitiosissimus, rempublicam summa crudelitate uastauit. Primo consulatu legem de exulibus reuocandis ferens, ab Octauio collega prohibitus, & honore priuatus, urbe profugit: uocatisq; ad pileum seruis, aduersarios uicit. Octauium interfecit. Ianiculum occupauit. Iterum & tertio consulem seipse fecit. Quarto consulatu cum bellum contra Syllam pararet, Ancone ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

DE CAIO Fimbria.

CAius Fimbria sæuissimus, quippe Cinnæ satelles, Valerio Flacco consuli legatus in Asiam profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curauit. Ipse correptis imperij insignibus, pro-

uinciam

uinciam ingreſſus, Mithridatem Pergamo expulit. Ilium, ubi tardius portæ patuerunt, incendi iuſsit: ubi Mineruæ templum inuiolatum ſtetit, quod diuina maieſtate ſeruatũ nemo dubitauit. Idem Fimbria militiæ principes ſecuri percuſsit. Mox à Sylla Pergami oppreſſus, corrupto exercitu deſertus, ſemet occidit.

DE VIRIATO Luſitano.

Viriatus genere Luſitanus, ob paupertatem primo mercenarius, dein de alacritate uector, audacia latro, ad poſtremum dux, bellum aduerſum Romanos ſumpſit. Eorumq́ Imperatorẽ Claudium Vnimanum, deinde C. Nigidium oppreſsit. Pacem à Popilio maluit integer petere, quàm uictus, & cũ alia dediſset, & arma retinerentur, bellum renouauit. Cœpio cum uincere aliter non poſſet, duos ſattellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi de poſi-

positũ perimerent. Quæ uictoria, quia empta erat, à senatu non probata.

DE MARCO Aemilio Scauro.

MArcus Aemilius Scaurus nobilis pauper. Nam pater eius, quãuis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit. Idem primo dubitauit honores peteret, an argentariam faceret. Sed eloquentiæ consultus, ex ea gloriam peperit. Primo in Hispania Corniculum meruit. Sub Horeste in Sardinia stipendia fecit. Aedilis iuri reddendo magis quàm muneri edendo studuit. Prætor aduersus Iugurtham, tamẽ eius pecunia uictus. Consul legem de sumptibus & Libertinorum suffragijs tulit. P. Deciũ prætorem transeunte ipso sedentem iussit assurgere, eiꝗ uestem scidit, sellam concidit: ne quis ad eum in ius iret, edixit. Consul Ligures & Gantiscos domuit, atꝗ

atq; de his triumphauit. Censor Aemiliam strauit, Pontem Miliuium fecit. Tantumq; auctoritate potuit, ut Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam, & Saturninum priuato consilio armaret. Idem filium suũ, quia præsidium deseruerat, in conspectum uetuit accedere. Ille ob hoc dedecus mortem sibi consciuit. Scaurus senex cum à Vario Trib. pleb. argueretur, quasi socios & Latium ad arma coegisset, apud populũ ait: Surius Sucronensis Aemilium Scaurum ait socios ad arma coegisse. Scaurus negat. Vtri potius credendum putatis?

DE LVCIO Apuleio Saturnino.

LVcius Apuleius Saturninus Tr. pleb. seditiosus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, ut ueteranis centena agri iugera in Africa diuiderentur. Intercedentem Bæbium

Bæbium collegam, facta per populum lapidatione, submouit. Glauciæ prætori (quod is eo die quo ipse concionem habebat, ius dicendo partem populi ad uocasset) sellam concidit, ut magis popularis uideretur. Quendam Libertini ordinis subornauit, qui se Tiberij Gracchi filium fingeret. Ad hoc testimonium Sempronia soror Gracchorum producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, ut dedecus familiæ agnosceret. Saturninus Aulo Mummio competitore interfecto, Trib. pleb. refect9, Siciliam, Achaiam, Macedoniam nouis colonis destinauit, & aurum dolo, aut scelere Cœpionis partum, ad emptionem agrorum conuertit. Aqua & igni interdixit ei, qui leges suas non iurasset. Huic legi multis nobilibus abrogantibus, cum tonuisset: Iam, inquit, nisi quiescitis, grandinabit. Metellus Numidicus exulare, quàm iurare maluit. Saturninus tertio Trib. pleb. re-

 fectus,

fectus, ut satellitem suum Glauciam prætorem faceret, Mummium competitorem eius in campo Martio necandum curauit. Marius senatusconsulto armatus, quo censetur, ne quid respub. detrimenti caperet, darent operam cõsules, Saturninum & Glauciam Capitolium persecutus obsedit, maximocꝫ æstu incisis fistulis in deditonem accepit: nec deditis fides seruata est. Glauciæ fracta ceruix. Apuleius cum in curiam fugisset, lapidibus & tegulis desuper interfectus. Caput eius Rabirius quidam senator per conuiuia in ludibrium circuntulit.

DE LVCIO Lucullo.

LVcius Lucullus nobilis, disertus & diues, munus quæstorium amplissimum dedit. Mox per Muraenam in Asia classem Mithridatis, & Ptolemęum regem Alexandriæ, consuli Syllæ conciliauit. Prætor Africam iustissime

rexit.

rexit. Aduersus Mithridatem missus, collegam suum Cottam Calcedoniæ obsessum, liberauit. Cyzicon obsidione soluit. Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eumq́ regno suo, Ponto expulit. Quem rursum cum Tigrane rege Armeniæ subueniente, magna felicitate superauit. Nimius in habitu: maxime signorum & tabularum amore flagrauit. Post cum alienata mente desipere cœpit, tutela eius Marco Lucullo fratri permissa est.

DE LVCIO Cornelio Sylla.

CORnelius Sylla in fortuna felix dictus, cum paruulus à nutrice ferretur, mulier obuia, Salue, inquit, puer tibi & Reipub. tuæ felix. Et statim quę sita quæ hæc dixisset, nō potuit inueniri. Hic quæstor Marij, Iugurtham à Boccho in deditionem accepit. Bello Cymbrico & Theutonico legatus, bonam

operam nauauit. Prætor inter ciues ius dixit. Prętor Ciliciam prouinciã habuit. Bello sociali, Samnites, Hirpinosq́; superauit. Ne monimenta Bochi tollerentur, Mario restitit. Consul Asiam sortitus, Mithridatem apud Orchomenum, & Cheroneam prælio fudit. Archelaum præfectum eius Athenis uicit. Portum Peiræum recepit, Medos, Dardanos in itinere superauit. Mox cum rogatione Sulpitia imperiũ eius transferretur, ad Marium in Italiam regressus, corruptis aduersariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit. Marium apud Sacriportũ, Thelesinum apud portam Collinam uicit. Mario Præneste interfecto, felicem se edicto appellauit. Proscriptionis tabulas primus proposuit. Nouem milia deditorum in uilla publica cęcidit. Numerum sacerdotum auxit. Tribunitiam potestatem minuit. Repub. ordinata dictaturam deposuit. Vnde spe de-

aceptus,

ceptus, Puteolos concesſit. Et morbo qui phtheiriaſis uocatur, interijt.

DE MITHRIDATE Rege Ponti.

Mithridates rex Ponti, oriundus à ſeptem Perſis, magna ui animi, & corporis, ut ſexiuges equos regeret: duarum & uiginti gentium ore loqueretur. Bello ſociali diſsidentibus Romanis, Nicomedē Bithynia, Ariobarzanem Cappadocia expulit. Literas per totā Aſiam miſit, ut quicunq; Romanus eſſet, certa die interficeretur: & factum eſt. Græciam, inſulasq́; omnes, excepta Rhodo occupauit. Sylla eum prælio uicit. Claſſem eius proditione Archelai intercepit. Ipſum apud Orchienum oppidum fudit, & oppreſsit, & potuit capere, niſi aduerſum Marium feſtinans, qualemcunq; pacem componere maluiſſet. Deinde eū Argis reſiſtentem Lucullus fudit. Mithri

dates poſtea à Pompeio nocturno prælio uictus in regnum confugit: ubi per ſeditionē popularem à Pharnace filio in turre obſeſſus, uenenum ſumpſit. Cū id tardius biberet, quia aduerſum uenena multis antea medicaminibus corpus firmarat, immiſſum percuſſorem Gallum Sithocum auctoritate uultus territum, reuocauit, & in cædē ſuam manum trepidantis adiuuit.

DE GNEO Pompeio Magno.

GNeus Pompeius Magnus, ciuili bello, Syllę partes ſecutus, ita egit, ut ab eo maximè diligeretur. Siciliam ſine bello à proſcriptis recepit. Numidiam Iarbę ereptā, Maſiniſſæ reſtituit. Vigintiſex annos natus triumphauit. Lepidum acta Syllæ reſcindere uolentem, priuatus Italia abrogauit. Prætor in Hiſpaniam proconſuli miſſus, Sertorium uicit. Mox Piratas intra quadra-

geſimum diem ſubegit. Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad uenenũ compulit. Deinde mira felicitate rerum in Septentrione, Albanos, Colchos, Heniochos, Caſpios, Hiberos: nũc in Orientem, Parthos, Arabas, atque Iudæos cum magno ſui terrore penetrauit. Primus in Hircanum, Rubrum, & Arabicum mare uſque peruenit. Mox diuiſo orbis imperio, cum Craſſus Syriam, Cæſar Galliam, Pompeius urbem obtineret, poſt cædem Craſſi Cæſarem dimittere exercitum iuſsit. Cuius infeſto aduentu, urbe pulſus, in Pharſalia uictus, ad Ptolemæum Alexandriæ regem fugit. Huius latus ſub oculis uxoris, & liberorum à Septimio Ptolemæi præfecto mucrone confoſſum eſt. Iamq; defuncti caput gladio præciſum, quod uſque ea tempora fuerat adoratum. Truncus Nilo iactus, à Seruio Codro rogo inuſtus, humatusq; eſt, inſcribente ſepulchro: hic ſitus

eſt Magnus P. Caput ab Achilla Pto- lemæi ſatellite, Aegyptio uelamine inuolutum, cum annulo Cæſari præſentatum eſt. Qui non con tinens lachrymas, illud plu rimis & prætioſiſsimis odoribus creman- dum curauit.

FINIS.

IOANNIS BOCCATII DE REBVS GESTIS ROMANORVM PROOEMIVM.

REgum, Consulum, Imperatorum, Romauorumq; ducum res gestas, ac nomina, quibus Po. Ro. per annos septingentos ab urbe condita, usq; ad Augustum Cæsarem, orbem subegit, hoc breui opusculo scribere institui, ut labili admodum memoriæ exiguo compendio subueniri queat. Nam cum à patre meo minus polite quàm imperfecte huiusce modi historia confecta esset, sumpsi onus nouæ scriptionis.

IOANNIS BOCCATII DE GESTIS ROMANORVM LIBER SVCCINCTVS.

PRimum igitur tempus sub Regibus fuit, prope quadringentos per annos, quo cum finitimis colluctatus est. Sequens à Bruto Collatinoq́ꝫ Coss. usqꝫ ad bellum Punicum primum, quo tempore totam subegit Italiam CL. per annos. Tertium, ab eodem bello in Cæsarem Augustum, annis totidem, quibus uniuersum orbem subegit, ac pacauit. Nam ultimum ab Augusto in Neronem, annis ferè centum obliterandum uidetur: Quibus imperij uires deletæ, Reipub. maiestas extincta est. His enim illustrioribus memoria retentis, facilis recordatio totius

tius subibit historiæ: his potissimum, qui Ro. res gestas lectitarint.

Primus ergo Romanorum imperiũ Romulus cœpit, urbis auspicator & conditor, uir bellicis artibus illustris. Hic Asylum instituit. Senatum ordinauit, iuuentutẽ armauit, Sabinos post abrepta connubia uicit, contra Veientes pugnauit. Acronem Cœninensiũ Regulum occidit, eiusq; spolia Ioui Feretrio detulit: statuto ut à reliquis sacerdotibus successoribus, occisis hostium ducibus idem fieret. Hic in Caprea palude subtractus magno suorũ consensu in deorum numerum relatus est.

Huic successit Numa Pompilius, qui populum ab armis ad religionem sacraq; traduxit. Ancilia instituit, focũ Vestæ, ceremonias deorum & alia sacra peregit.

Hunc deinde Tullius Hostilius secutus est, qui populum ad arma à religione

gione rursus reuocauit. Albanos deuicit, deletaq; eorũ urbe, & opibus ablatis Romam omnia transtulit.

Post hunc Ancus Martius regnum accepit. Hic urbem muro cinxit, ponte Tyberim iunxit, & Hostiam maris portum exædificauit.

Tarquinius Priscus huic successit, Græcus natione, qui senatum ampliauit, Tribus auxit, duodecim Thusciæ populos subegit: Fasces, trabeas, curules, anulos, phaleras, paludamenta, & prætextas primus instituit. Deinde ut equis albis & aureo curru triumpharetur edixit. Hinc tunicæ palmatæ & omnia decora insignia sunt statuta.

Post hunc Seruius Tullius regno potitus est. Ab hoc Po. Ro. in censum relatus, digestus in classes, curijs atq; collegijs distributus. Omnia hic in tabulas referri iussit.

Postremus omnium L. Tarquinius cognomine Superbus. Hic cum sæuitiam

tiam domi fatigasset, in hostes conuersus ualidissima oppida cepit in Latio, Vrdeam, Corniculũ, Gabios, Suessam, Pometiam. Templum etiam de hostiũ manibus eripuit, in cuius fundamentis caput hominis inuentũ est. Quo augurio portendi creditum eam urbem gentibus imperaturam fore. Hic tandem ob superbiam & stuprum filij in Lucretiã, ab urbe pulsus, exul senio ægretudineq́ confectus est.

Pulsis itaq́ Regibus, libertati reddita urbs est, Coss. institutis, quorum annuum perseuerabat imperium. Horũ primi Brutus, & Collatinus fuere. Deinde quia plebi inuisum regiæ stirpis nomen, Collatinus consulatu abrogatur: cuius in locum Valerius Publicola successit, uir summæ humanitatis, ac modestię. Quippe qui ædes suas, ne superbæ uiderentur, fastigio deposuit. Ius etiam prouocationis populo aduersus Coss. dedit. Brutus iussit fili-

os interfici, quod de reditu Tarquinij agitasse dicerentur. Liber populus, aduersus exteros arma cepit, pro finibus, imperio, gloria. Primum contra Thuscos Tarquinio fauentes, atque Latinos, deinde per singulos mouit arma, donec Italiam uniuersam imperio suo addidit.

Primum bellum contra Hetruscos habitum est, Tarquinium in regnum inferre satagentes, Porsena Hetruscorum rege duce, quem Horatij Coclitis uirtus in ponte sublitio, & Mutij insignis patientia, ab obsidione urbis depulere. Tarquinij tam diu dimicarunt quo Aruntem Regis filium, manu sua Brutus occidit, supra quo cum mutuo uulnere consumptus est.

Posthumius dictator Latinos pro Tarquinio bellum gerentes, proiecto in hostes signo, apud Regillum lacum fregit. Et Cossus magister equitũ frenos ab equis demi iussit, quo liberius in hostes irruerent.

Lucius Quintus Cincinnatus dictator Equos & Volscos domuit, defensis castris Minutij consulis obsessi: quem à consulatu cum ignominia dimisit.

Trecenti Fabij apud Cremeram flumen à Veientanis dolo circumuenti, oppressi fuere: diesq; ille à Romanis ob hoc infaustus est annotatus.

Falisci se dedidere Camillo, insigni eiusdem clementia permoti: quod ludi magistrum per discipulos uerberandum, proditionis caussa uinctũ ad eos remisisset.

Aulus Cornelius Cossus occiso Larte Tolumnio Veientanorum rege, Ioui Feretrio opima spolia detulit.

Galli Senones cæsis Romanis ad Alliam flumen Fabio Consule Romã ceperunt, urbemq; igne, ruina, & cæde uastarunt. Capitolium per sex menses obsessum tenuerunt, Manlio cum reliquijs Romanæ iuueututis arcem pro

tegente.

tegente. Tandem cum mille pondo auri petiissent à Romanis, aduentu Camilli fugati cæsiq; sunt Galli, arx Capitolium liberata est.

Apud Anienem fluuium iidem Galli hostmodum cæsi, ubi Manlius aureo torque, ab hoste singulari pugna detracto, Torquati cognomen sibi posterisq; accepit.

Similis pugna in agro Pometino cum Barbaris est habita. Lucius Valerius, dum Gallum duello superat, coruo in galea eius assidente, Coruini cognomen meruit.

In Hetruria postmodũ L. Papinius omnes Gallorum copias ad lacum Vadimonis sic deleuit & fregit, ut pauci admodum de reditu gloriari potuerint.

Torquatus & Decius Coss. apud Veserim flumẽ strauere Latinos. Quo in bello Torquatus aduersantem publicis decretis filium iussit interfici.

Decius

Decius quaſi deorum monitu, morti ſe obiecit, ut uictor ſubinde Romanus permaneret exercitus.

Curio dentatus Conſul adeo Sabinos pugna contriuit, ut à Nare fluuio, uſq; ad mare Adriaticum, cuncta igni ferroq́; uaſtaret.

Fabij & Papirij per annos quinquaginta Samnites expugnarunt, ex quibus quatuor & uiginti triumphos retulere. Vindicta de Venturio, Poſthumioq́; Coſs. ſuſcepta eſt. Samnites tandem urbe euerſa duce Papirio deleti ſunt.

Paulo ante Fabius Maximus Hetruſcos, Samnites & Vmbros bello ancipiti ſtrauit. Et Decius Conſul alter, patris ueſtigia imitatus, armis hoſtiũ ſe ſponte deuouit.

Apud Heracleam Campaniæ flumen, Leuinus Conſul, bello Tarentino contra Pyrrhum pugnauit, ſed terrore elephantum ſuperatus exceſſit.

At uero in Apulía apud Asculum, ducíbus Curio & Fabritio felicius contra Pyrrhum pugnatum eſt, uno Elephante uulnerato per Caium Numitium, cuius clamore Pyrrhi exercitus turbatus eſt.

Tertio bello eiſdẽ ducibus Pyrrhi deletus exercitus. Itaq; cum Rex auro atq; muneribus Romanis ſeſe conciliare ſtuduiſſet, repulſus in patriam redire coactus eſt.

Sempronius dux Picenos ſtrauit. Marcus Attilius Salentinos domuit. Decius Murena habet Plinius. Fabius Gurges ſeruos Volſcinenſium qui in dominos rebellarant, ad deditionem redegit.

Menenius Agrippa, plebem à ſenatu diſcedentem, ſuauibus uerbis, ac fabulæ recitatione placauit: quæ ob fœneratorum improbitatem in ſacrum montem ſe receperat. Aliam ſeditionẽ à decemuiris, propter libidinẽ Appij, Virgi:

Virginius interempta filia excitauit, cuius occaſione decemuiratus poteſtas ſublata eſt. Tertiam matrimoniorum dignitas exciuit: hæc duce Clauitio Tribuno plebis exarſit. Quartam honorum cupido, ut plebei æque ac patritij honoribus fungerentur. Quintã lex Agraria commouit, quæ agros uiritim diuidundos iubebat, demendũq; diuitibꝰ rogauerat. Cuius cauſſa Gracchi, Caſſius, Sp. Melius cæſi fuere. Sp. Melius à Seruilio Hala magiſtro equitum imperio Quintij dictatoris occiſus eſt. Manlius ab arce capitolij deiectus, cum nonnullos ſuis debitis contra ius liberare conaretur.

Primum Punicum bellum Siciliam exarſit. Ab Appio Claudio Conſule Hiero Syracuſanorum rex ſuperatus, Romanorum partes ſecutus eſt.

Duillio Cornelioq; Coſs. Carthaginenſes apud Liparas nauali prælio uicti, Cornelius ſimulato colloquio à Car

thaginensibus excipitur.

Calatinus dictator omnia Pænorũ præsidia, in Sicilia deleuit. Calphurnius Flamma tribunus militum cum ccc. uiris hostes apud Messanam detinuit, donec Romanus exercitus illęsus euaderet: Leonidam Spartanum apud Thermopylas imitatus. Cornelius Scipio Sardiniã cepit, & Corsicam. Afrorumq́ uires adeo contriuit, ut nihil Carthaginensibus excepta Africa ipsa restaret. M. Attilius Regulus cum in Africam traiecisset, & uictor ubiq; uolitaret, Xantippi Lacedęmonij solertia uictus, & captus, ingens exemplũ fuit rerum humanarum. Marcellus apud Panhormum sic Carthaginenses ipsos adflixit, ut elephanti centum, aut amplius capti, exercitus deletus, p̃da ingens rerum omnium relata sit. Demũ à M. Fabio. Buteone in Africo mari apud Erycinam maximo quidem naufragio atq; prælio Carthaginenses oppressi

pressi sunt. Luctatio Cõsule apud Egades insulas ultima strages data est. Adeoq; illustris uictoria fuit, ut de excidenda Carthagine non amplius eo bello quæsitum sit, cum iam mari deleta uideretur.

Cn. Fuluius consul contra Ligures, Insubres, Myricos missus maximo bello strauit. Posthumius ita exarmauit, ut ne ferrum ad agriculturam eis relin queretur.

Gallos Insubres Romanis infensos, primo Aemilius, secundo Flamminius, tertio Marcellus perdomuit, occiso Viridomaro eorũ duce, cuius opima spolia Ioui Feretrio detulit. Mediolanensium urbem in deditionem redegit. Postq; Centimalus Illyricos multa occidione deleuit.

Bellum punicum secundum, decem & septem annis gestum Hannibale duce, qui ad ultimam cladem deductis Saguntinis, Romanorum sociis, oppressa

Hiſpania, tranſactis montibus Pyrenęis, Rhodano & Alpibus in Italiam deſcendit. Vbi iuxta Ticinum fluuium Pub. Scipionis exercitum deleuit. Poſt ad Trebiam Sempronium Conſulem ſtrauit. Deinde ad Traſimenum lacum ſtragem Flamminio intulit. Quarto ad Cannas Apuliæ uicum, Paulo Aemilio & Varrone coſs. tantam Romanis cladē intulit, ut interfectis XL. milibus Ro. tria modia annulorum Carthaginem deferrentur. Interim dū Capuam diuertiſſet, eneruatis uoluptate militibus ſuis, Romanisq́ꝫ refectis, Leuino Marcelloq́ꝫ coſs. cum eodem ſæpius certatū eſt. Fabius etiam Maximus eundem cunctatione fatigauit. Claudius inſuper Marcellus à Campania pepulit, & obſedit, & oppugnatione Nolanę urbis excuſſit. Sempronius Gracchus per Lucaniam ſecutus eſt. Marcellus Siciliam omnem, capta Syracuſana urbe, recepit. Sardiniā Gracchus

chus eripuit. Pub. & Cn. Scipiones in Hiſpaniam miſſi, inſidijs Hannibalis oppreſsi ſunt. Quibus Scipio maior ſucceſſit, & totam breui recuperauit Hiſpaniam. Haſdrubal dum ſe Hannibali coniungere affectat, à Liuio Salinatore, & Claudio Nerone apud Metaurum fluuium oppreſſus, ſpem uictoriæ fratri eripuit. Eodem duce Scipione Hannibal in Africa ſuperatus eſt, præmiumq́ʒ uictoriæ fuit ipſa Carthago.

Contra Macedones, Græciam & Syriam Leuinus Coſs. miſſus, totum mare claſſe peragrauit. Poſtea Flamminius Coſs. clauſtra Macedoniæ penetrauit, Regemq́ʒ eorum cepit, oẽmq́ʒ Aręciam præconis uoce liberauit. Contra Antiochum Aſiæ Regem, apud quẽ Hannibal diuerterat, Acilius Glabrio coſs. miſſus, eundem de Euboica inſula ignominioſe pepulit. Deinde apud Thermopylas conſecutus, maritimo terre-

G 4 ſtriq́ʒ

ſtriq́ prælio ſuperatum in Syriam fu-
gere coegit. Aemilius Regillus uni-
uerſam eius claſſem ſuperauit. Poſtre
mo Luc. Scipio Coſs. regem ipſum cũ
omni deleuit exercitu: ob idq́ glorio
ſiſsime triumphans, Aſiatici cognomẽ
habere meruit.

Fuluius Nobilior bello Aetolico Ambraciam urbem Pyrrhi regiam machinis euertit. Capta deinde urbe deditio ſecuta eſt, omnesq́ inſulæ intra Ceraunios montes, iugumq́ Maleum Romanis paruerunt.

Appius Pulcher contra Iſtricos miſſus, qui caſtra Manlij ceperant, & prædæ incumbebant, uelut ſomno uinoq́ ſepultos inuaſit. Rege etiam eorum intercepto, qui ob crapulam uix ſe captũ eſſe cognouerat.

De Gallogræcis autem Manlius uictoriam retulit, licet non triumphauerit, cum belli ipſius cauſa minus ꝓbata ſit. Succeſſit bellum Macedonicum

ſecun-

ſecundum cõtra Perſen Philippi regis filium, aduerſus quem Martius Philippus Coſs. prouinciam ingreſſus, per aſperos calles, & inuias paludes, regẽ nihil tale ſuſpicantem, ſubita belli eruptione adeo terruit, ut uictum ſe crederet. Poſtea cum in montem Hemum ſe recepiſſet, Paulus Aemilius Coſs. per inuios ſaltus irrumpit, ex quo fracto exercitu in Samothraciam fugit. Poſtremo cum filijs captus, in Pauli deuenit poteſtatem, à quo Romam in triumphum ductus.

Contra Illyricos Anicius prætor militauit, qui capta Segordia ciuitate, ipſos ſubegit.

Bellum Macedonicum tertium, cõtra Andiriſcum dubiæ ſortis hominẽ, qui regnum tyrannice occupauerat, à Iuuentio prætore ceptum, uerum idem incaute agens, oppreſſus eſt. Deinde ſucceſcit Metellus Coſs. qui prætore uindicato Regulum cepit ac Macedoniam ſeruitute multauit.

 Bello

Bello punico tertio iuxta Catonis consilium deleta Carthago, cui Scipio Nasica aduersabatur. Transmissis primum Manlio, ac Censorino Coss. qui petitam à Carthaginensibus classem in conspectu earum succenderunt. Demum cum ciuibus urbe cedere imperatum esset, atrocitate mandati non parentes, rebellarunt. Et ut aliam classem repararent, ædes proprias diruerunt, portum ab alio urbis latere extruentes. Memmio deinde Coss. ciuitas obsessa. Portus antiquus cum magna urbis parte dirutus. Postremo cum se magna ui in arce, cui Byrsa nomen est, continerent, à Scipione Africani maioris nepote expugnati deuictiq;, in Romanorum cessere potestatem. Vrbs ipsa incendio funditus euersa, decē & septem diebus igni superfuit.

Bellum Corinthium insecutum, cui Metellus Macedonicus ꝓpositus est. Hic Critolaum urbis illius ducē bello

strauit,

ſtrauit,urbem obſedit, quã Mummius Coſs.deuicit, & uictoriam deleta funditus urbe,retulit.

Bellum Numantinum, ſcilicet Hiſpanum, Scipione Aemiliano duce geſtum eſt, qui noua Carthagine capta, alijsq́ inclytis urbibus,primus Ro. ducum ductor ad Gades uſq; peruenit. Demum oppreſſa ac funditus deleta Numantia,quæ pertinaci obſidione ſe diu ſeruauerat, ſubactisq́ Luſitanis q defecerant,omnium uictor euaſit. Numantini autem deſperatis rebus ſuis, mutuis ſeſe confecere uulneribus, ſic ut nullus triumpho ſeruari potuerit.

Bello Aſiatico Craſſus prætor ab Ariſtonico per inſidias captus,memor familiæ Romaniq́ nominis, cuſtodem ſuum barbarum ſceptro, quod manu gerebat,ita percuſſit, ut excæcaret. Ex quo ira concitum in ſe conuertit,& cõfoſſus occubuit. Idem poſtea Ariſtonicus à Perpenna Coſs. domitus & captus

tus est. Aquilius Asiatici belli reliquias cõfecit, uenenatis fontibus, q̄ ad laudem Ro. ducis non adscribitur.

Contra Iugurtham Calphurnius Bestia Coss. mittitur post quem Sp. Albinus, sed munere corruptus uterq; uincitur, Successit Metellus qui hostẽ multis astutijs laboribusq; fatigauit. Postremò Marius Iugurtham ipsum cũ omnibus copijs deleuit, perductũq; Romam in triumpho habuit.

Domitius Aenobarbus, & F. Maximus iuxta Rhodanum fluuium Allobroges strauere, insigneq; ancipitis belli fuit, quod in eorum sedibus, præter maiorum morem rerum gestarum, monumentum saxeas turres erexit.

Aduersum Cymbros, Teutonas, & Tygurinos Syllanus prius missus, deinde Manilius, postremo Cœpio, omnes hi ab hostibus cæsi, fugatiq;, exercitib9 & castris exuti subactiq; fuere. Marius demum astu, ingentiq; labore, uarijs

uictorijs

uictorijs hostes domuit, insignemq́ꝫ ex his triumphum retulit.

Cato primum aduersum Thraces missus ab eis superatus est. L. Didius deinde uagos & diffusos in Samothraciã redire coegit. Drusus Istrum transire uetuit. Minutius toto turbauit Hemo, multis, ob glaciem in transitu fluminis amissis. Piso Rhodopen, Caucasumq́ꝫ penetrauit. Curio Dacia tenus peruenit, sed tenebras saltuum expauit. Appius in Sarmatas usqꝫ deduxit exercitũ. Lucullus Tanain usqꝫ, Mœotidasq́ꝫ paludes depulsos, ferro, igniq́ꝫ ad ultimum deduxit excidium.

Bello Mithridatico Sylla contra regem missus, eundẽ ingenti prælio strauit. Lucullus deinde Regem ipsum ad Tygranem regẽ compulsum, atqꝫ omnibus copijs exutum, profligauit. Pompeius demum Magnus, usqꝫ ad ultimã belli cladem persecutus, tandẽ ueneno confecit.

Contra

Contra Cilices Paulus Seruilius coss, mittitur, qui uno prælio, non tamen consummata uictoria, sed admodum cruenta superat. Pompeius Magnus ita deleuit, ut nulli amplius piratæ mare turbarent. Nam omnia simul maris ostia, complexus est. Gellium mari Tusco præposuit. Plautium Siculo, Coracillum Lygustico. Pompeius ipse Gallicum obsedit. Tyberius uero Gaditanum. Lentulus Lybicum. Marcellus Aegyptium. Pompeij iuuenes Adriaticum: Varro Terentius Aegeum, & Ponticum. Pamphylium Metellus. Asiaticum Cœpio. Ipsas Propontidis fauces Cato, ita ut undecumque piratæ ipsi prorsus delerentur.

Bello Aretico M. Antonius præponitur, qui uecorditer incauteque procedens, prostratus est. Metellus subinde incautius agens ad extremum eos domuit, capta prius Cydonia, totius insulæ urbe præcipua, alijsque illustrioribus

ciui-

ciuitatibus, ex quo Cretici cognomen habere meruit.

Metellus alter Balearicos aggressus, contemptis fundis quibus maxime præualebant, ui subegit, ex quo Balearici cognomen adeptus est.

Cypríca expeditione Pub. Clodius tribunus, Ptolomæum Regem supera uit, insulamq; deuicit. Cato ad compor tandas in urbe regias opes electus insig ni gloria remeauit.

Bello Gallico, Germanico & Britan nico Iulius Cæsar præpositus, qui Diuus postmodum appellatus est, q bellicosissimas nationes annis ferè decem expugnatas, Romano subiecit imperio.

Contra Parthos Crassus mititur, is inconsulte progressus, & aduersis omi nibus fluuium transgressus Euphratē, uniuerso exercitu deleto, & Romanis signis amissis, captus, liquefacto in os auro pœnas sceleratæ cupiditatis exoluit.

Tri=

Tribunitia poteſtas ſeditionum fere omnium cauſſa, agrarijs frumentarijsq; legibus plebis animos irritabat, per ſpem plebis tuendæ, dominandi libidinem præ ſe ferens. Nam ſpe agri à ueris dominijs detinebantur, ut plebeis traderentur, & ex ærario magna frumenti copia emebatur, ut in plebem partiretur. Primo eum Tyberius Gracchus Tribunus plebis legem agrariam inſtituere affectans, Octauium collegã ſibi aduerſantem à roſtris adeo terruit, ut abdicare ſe magiſtratu cogeretur. Ex quo de diuidendis agris triumuiratus officium tum primum inductũ eſt. Cumq; inter nobiles & plebem ingens ſeditio eſſet orta, Scipio Naſica concitato aduerſus Gracchũ populo ipſum interemit.

Succeſſit huic alterius gracchi fratris ſeditio, qui in tribunatu idem agere affectans, tandem ab Opimio Coſs. tum in Auentinum ſe recepiſſet, adiu-

uante

uante senatu oppressus est. Extant Cor
neliæ matris uerba hac in re, q̃ interpo-
nere indignum non existimauimus, di-
xit enim, pulchrum esse inimicos ulci-
sci, id neq; maius, neq; pulchrius cui-
quam atq; mihi esse uidetur. Sed si lice-
at Repub. salua eos persequi. Sed qua-
tenus id fieri non potest, multo tempo-
re multisq; partibus inimici nostri non
peribunt, atq; uti nunc sunt, erunt po
tius, quã Resp. profligetur, atq; pereat.
Sed ad propositum reuertamur. Post
hunc Apuleius Saturninus Graccha-
nas leges impellente plebe rursus asse-
rere conatus est, Mario Cos. nobilita-
tis hoste cõfisus, interfecto A. Numio
competitore suo, eius in locum surro
gato quodam Graccho, dubiæ sortis ho
mine, qui se de Gracchorũ familia esse
dicebat, a quibus Metellus & Rutilius
exilio damnati sunt. Hic tribus regna
uit annis, in quibus comitia consularia
cæde turbauit. Glaucia furoris sui co-

mite adſcito coſs. ſe fecit. C. Memmiū competitorem iuſſit interfici. Tandem ob inſolentiam expulſus, Capitolium inuaſit, ibiq; à populo laceratus eſt.

Huic Liuius Druſus ſucceſſit, qui in tribunatu eaſdem leges adſerere conatus, repentina morte ſeditiones peſtiferas intermittere coactus eſt: cum tamen poſt ſuum obitum non exigua diſcordiarum ſemina reliquerit. Nam ſenatus damnatione Metelli & Rutilij proſtratus, nihil in plebem ulterius agere audebat, & plebs nobilibus aduerſabatur. Quippe Cœpio tribunus in ſenatum impetu facto, reos ambitus Scaurum & Philippum conſs. edixit. Ex quo plurimarum ſeditionum initia orta ſunt. Poſt hæc ſociale bellum contra Latinos & Hetruſcos exarſit, quia Druſo dominandi cupidine laceſſiti, contra matrem urbem inſurrexerant. Verum poſt multa diſſidia Cato

op-

oppressit Hetruscos. Gabinius Marsos. Carbo Latinos. Samnites Sylla. Strabo uero Pompeius circumquaque flammis, ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quàm Asculi urbe euersa, atque diruta.

Huic successit bellum seruile quod Syrus quidam seruus, Eunus nomine in Sicilia mouit, sex ac sexaginta amplius milium seruorum exercitum colligens, adeoque diuexauit Ro. ut deditis Manlio, Lentulo, Pisone & Hypsea prętoribus eorum castra diriperet. Tandem duce Perpenna sub Aetna monte cum omni exercitu deletus, meritumque ex eis supplicium, uario tormentorum genere susceptum est.

De hinc Artemo quidam pastor in Siciliam profectus, alterum seruorum excitauit incendium, uicissim se regio appellans nomine. Ab hoc quoque prætorij exercitus cæsi, capta Seruilij castra. Capta etiam Luculli. Demum A-

quilius Perpennæ exemplo cõmeati-
bus interclusum hostem adeo adflixit,
ut fame quã plurimi, reliqui supplicio-
rum metu, in seipsos manus uerterint.

Gladiatoris deinde Spartaci bellũ secutum est. Hic magnum latronum exercitum in monte Vesuuio collegit, q cum à Clodio Glabro prætore obsideretur, uinculis uitium clam prolapsus, subito impetu castra Clodij, deinde Torani cepit, totaq; uastata Campania, affluentibus in dies copijs, in Apennino Lentuli deleuit exercitum, & apud Numantiam Crassi castra disiecit, tantaq; superbia elatus est, ut de inuadenda urbe consilium caperet. Demum à Licinio Crasso profligatus, ad extrema Italiæ loca compulsus est. Ibi circa Brutium Crassus, cum Spartacus fugam in Siciliam pararet, nec classium ope periculosum illud mare transire posset, reliqua spe amissa, pugnam arripere compellit, in qua ferme omnes occisi sunt.

Spartacus

Spartacus ipse inter primos egregie pugnans, confoditur.

Bellum Syllanum, & Marianum, ex inuidia Marij prorupit, qui prouinciā Syllæ decretam, cum eripere appararet, Sylla urbem inuasit, Capitolium cepit. Magnaq; clade fugato Mario Cornelium Cinnam, & Cn. Octauium coss. urbe pepulit. Redit deinde ab Africa Marius clade factus illustrior, ingentemq; in Syllanas exercitum mouit. Diuisere copias Sylla, Marius, Carbo, Sertorius. Octauius consul occiditur. Antonius consularis Cęsar & Fimbria trucidantur. Crassi, pater & filius. Bebius & Numitor unco per forum tracti sunt. Catulus ignis æstu seipsum peremit. Merula flamen dialis in Capitolio uenis incisis extinguitur. Antistius confossus est, eo quod Marium tardius salutauerat. Verum non minor furor exortus est cum Sylla exercitu stipatus ab Asia rediijt, Apud capuā iuxta

ta Vulturnum amnem cõcurritur, Sylla uictoriam illic adeptus est. Quo facto Romam ingressus & uindictæ appetens in cædẽ senatus Marianorumq; omnium exarsit. Fit cędes in circo, in foro, in templis, in ædibus, in uia. Mutius Scæuola pontifex in templo Vestæ ad Altaria occiditur. Apud Sacrum pontem Collinámq; portam rursus à Mario in Syllam concurritur. Sylla superior euasit. Tunc deniq; in Marianos nullo delectu habito sæuitum est. Carbo & Soranus prętores, Venuleius & Bebius ferarum more laniati. Marius superioris Marij frater, apud Catuli sepulchrum manibus, pedibus, lingua, naribusq; truncatis, ad ultimum oculis euulsis, summis tormentorum cruciatibus uitam emisit. Omnia municipia Italiæ capta, prædæ & subhastationi subiecta fuere.

Bellum de hinc Sertorianum in Hispania exarsit. Nam Lusitani & Celtiberi

beri Romano duci cesserũt. Exul enim & profugus Syllana pscriptione Sertorius, uir alioquin uirtutis eximię, bellis maria terrásq; commiscuit. Iam Baleares adeptus usq; ad Fortunatas penetrauit Insulas, ac tandem armauit Hispaniam, qua non contentus ad Mithridatem quoq; respexit. Contra eum Pompeius Metello additus est. Hi duo uarijs bellis uires tandem Sertorij attriuere. Nec tamẽ prius bello Sertorius, quam suorum scelere extinctus est.

Marco Lepido & Q. Catulo coss. Lepidi ipsius bellum ceptum est. Nam dum Syllæ acta rescindere affectat, ac proscriptos reducere, & priuatos suis fortunis reuocare satagit, omnem ferè urbis statum perturbauit. Post hoc igitur in Hetruriam profectus, arma contra urbem mouit, pluráq; & magna peracturus, nisi iam Miluium pontem, collemq; Ianiculum Luctatius Catulus, Cneusque Pompeius occupassent. Ab

his ergo metuens fuga depulſus, Hetruriam primum unde uenerat, inde Sardiniam perrexit, ibiq; morbo cõſumptus interijt.

Seditio Lucij Catilinæ à Lentulo, Manlio, Curio, Porcio, Varunteio, Cethego, Longino, Vmbritio, alijsq; illuſtribus Romanis exorſa, Cicerone & Antonio coſs. extincta eſt. Nam Cicero per Fuluiã doctus, coniuratione detecta, domi forisq; ſupplicijs ſumptis, Catilina etiam deuicto, ingentem gloriam conſecutus eſt, urbe liberata.

Bellum ciuile Cæſaris & Pompeij totum fermè terrarum orbem una ruina inuoluit. Nam hinc undecim legionibus Cæſar, inde decem & octo Pompeius, cunctoq; Italici ſanguinis robore ſe inuicem adorſi, bellum per quatuor ferè annos deduxere, quod uarijs orbis regionibus geſtũ eſt, Italia, Gallia, Hiſpania, Epiro, Theſſalia, Aegypto, Aſia, Africa. Poſtremo in Hiſpania finis datus.

Hoc tantum incendium conflauit inuidia.

Nam cum Pompeij gesta tota orbi notissima essent, Metellus ob imminutum Cretæ triumphum æstuaret. Cato aduersus potentes semper obsisteret. Crassus genere, diuitijs, dignitate floreret. Cæsar eloquentia & spiritu. Pompeius super utrumque emineret, Remp. inter se partiti sunt. Cæsar igitur in Galliam, Crassus in Asiam, Pompeius in Hispaniam profecti. Per decem ferè annos dominatio ista permansit, morte Iuliæ & Crassi euenere discordiæ. Negatus triumphus Cæsari, quia Senatui ipsum reuocanti parere neglexit. Hæc propter cum exercitu immenso, Alpibus superatis Ariminum uenit. Inde Hetruria domita. Brundusium usque Pompeium est secutus, quem dum mari clauso obsidere conatur, ad ultimum spe frustratus, elapso Pompeio Romam uenit. Consulem se fecit, omnesque in se

dignitates adſumpſit, prouincias decre-uit, ærarium ſpoliauit, prædamq; ſibi & ſuis militibus fecit. Inde in Hiſpaniam ad Pompeianos milites feſtinans, in iti nere Maſsiliam inuaſit, quã Bruto duce bello maritimo ſuperauit. Subacta Hiſpania, Cæſar rurſus Pompeium in Epirum ſecutus eſt, & Dirrachio longo uallo egreſſus, Pompeius prælio Cæſarem terruit. Poſtremo in Aemathiã omne bellum tranſlatum eſt, in quo uictor Cæſar fuit. Poſthæc Pompeius in Aegyptum delatus, fraude Ptolomæi occiditur. Cæſar in Aegyptum Pompeium perſecutus, dum Cleopatram in regnum reſtituere conatur, magnis diſcriminibus obiectus eſt. Deinde in Aſiam nouus rerũ motus parabatur per Pharnacem regem, quo propere profectus uno eum prælio ſuperauit, uicitq;. Subinde in Africam ad reliquias Pompeij perſequendas nauigauit. Ibi Cato, Scipio & Iuba bellum ſuſtinebant.

Quibus

Quibus debellatis, Catone Vticæ spō te interempto, in Hispaniam uenit. Sextus namq; Pompeius exercitum ingentem in ea prouincia obtinebat. Multis igitur prælijs terra mariq; gestis, postremo apud Mundam ancipiti prælio pugnatum est. Cæsar non incruenta uictoria imperium adeptus est. Sextus demum in Celtiberia fortunæ beneficio seruatus, multa prælia post Cæsaris mortem gessit. Cæsar itaq; in patriā delatus illustres uictoriarum suarum peregit triumphos. Tandem per Brutum & Cassium libertatis assertores, in Pompeij curia tribus & uiginti uulneribus contrucidatus est.

Successit Cæsari Augustus, fato ne dicam, an fortuna, qui auunculi sui necem persecutus, rursus in Thessalia ciuile bellum excitauit. Victisq; Bruto & Cassio, cum Antonio & Lepido partitus imperium, Lepidum primo dignitate spoliauit. Diuiso deinde terrarum orbe,

orbe,cum transmarinę partes Antonio cessissent,Cleopatræ suggestu creuit inuidia. Dissensione itaq; coorta apud Actium promontorium, summis hinc inde uiribus inter utrosq; pugnatum est. Augustus uictor euasit. Antonius desperatis rebus,gladio se peremit. Cleopatra ne triumpho seruaretur Psillorum ueneno extincta est. Antonij filij, Augusti iussu interempti. Conuersus deinde Augustus ad reliquum terræ orbis subigendum, Ventidium contra Parthos misit, qui Pacoro rege freti, Crassiana insuper & Antoniana clade plurimum elati, Syria abrepta bellum in Romanos minabantur. Cæterum Ventidius incredibili felicitate Pacori copias omnemq; equitatũ in Theospron tem & Euphratem late fudit. Viginti enim aut amplius hostiũ millia eo bello cæsa. Quod præcipua ducis astutia factum est, qui simulato metu, eo usq; hostem castris elicuit,ut sumpto iactus spatio

ſpatio uſum ſagittarum adimeret. Capto itaq; & occiſo Pacoro rege, caput circum urbes quæ deſciuerant latum. Syriaq; prouincia ſine bello recepta eſt.

Ad Septentrionem quoq; pacandũ Druſo priuigno delegato, Cheruſcos, Sueuos, Sicambros, Marcomannos, Byennos. Senones atq; Vandalos ſubegit. Miſſi etiã reliqui duces, Lolius qui Pannones, Aſinius Pollio, q Dalmatas, Piſo qui Thraces, Lentulus qui Dacos & Sarmatas domuit. Poſt hæc ad meridiem contra Maſſulanos, Getulos, Marmaridas bellum eſt, quos omnes Coſſo duce compeſcuit. Ad orientem cũ Armenijs & alijs finitimis barbaris alterum ex Cæſaribus nepotibus ſuis miſit. Contra Cantabros, qui cæteris ferociores habebantur, Cæſar ipſe profectus, ſub mœnibus Atticæ urbis ultima ſtrage deuicit. Poſthæc ad extremam deditionem compulit. Et hic finis bellorum Auguſti, & pacati imperij inſignis gloria. Com-

COMPARATIO Imperatorum & Regum.

REum Ro. Imperij exordia à Regibus uires adſumpſiſſe docuerim hactenus, referam nunc à quibus eiuſdẽ fundamenta ꝓfligata ſint, ut quiſq; intelligat rerum finem initio congruere, & nihil in humanis ſtabile, aut diuturnũ eſſe poſſe. Quem Romulo prius conferam quàm Cæſarem? niſi quod ille urbis initium, hic finem poſuit. Romulus enim armis Rempub. inſtituit, hic armis euertit. Ille ex nihilo urbem ampliauit, hic maximæ & opulentiſſimæ uires fregit. Ille ſenatum ordinauit, hic perculit. Ille demum à patribus diſcerptus, hic à ſuis equidem patricijs occiſus eſt.

Sequitur D. Auguſtus, haud Numę Pompilio diſpar, æque ſacer uterq;, æque pacis amator: mite amborũ ingeniũ, æqua in utroq; humanitas, & Reip. cura fuiſſe traditur.

Iam

Iam Tyberius Tullo Hostilio minime dissimilis, qui populum à religione ad arma transtulit. Hic enim quiescentem Remp. partim ignauia, partim in curia turbauit. Qui Armeniam à Parthis, Mœsiam à Dacis, Pannoniam à Sarmatis, Gallias à Germanis uastari neglexerit. Et ille Remp. pugnando substituit, hic pugnam negligendo Imperium euertit.

Cai Caligulę durius ingenium, quã ut Anco Martio coæquari possit. Verum æque impendiorũ utriq; cura: sed illi utilis, huic partim inutilis. Ancus enim urbem muro cinxit, ponte Tyberim iunxit, & Hostiam maris portum ædificauit. Caius opera sub Tyberio imperfecta absoluit. Inchoauit aquæductũ e regione Tiburti. Amphitheatrum constituit, Baiarum medium interuallum ad Puteolanas moles usq;, triummilium & sexcentorum fermè passuum spacium coniunxit.

Tarquinij Prisci genus exterũ, quod idem nonnulli in Claudio arbitrantur. Ille trabeas, currules, annulos, phaleras, paludamenta & prætextas primus instituit, multaq; ad ornatum ciuium contulit. Hic pleraq; circa ciuilem morem, item circa omnium hominum statum domi forisq; correxit, equestres militias ordinauit, labentemq; aliquantulum Remp. continuit. Denique uterq; mulierum fraude circumuentus est, dũ illi successorẽ Ro. Po. parare student.

Eisdem necesse est ut Seruium Tullium adiungam, quo res magis ordine, quàm serie procedat. Postquam e Ro. ducibus Germanici etiam Imperium fraude Tyberij subtractũ est, qui quartus in ordine, merito cum Anci uirtute conferri debuit,

Nero postremus e Cæsaris progenie, cum Superbo Tarquinio regum nouissimo iure comparandus est. Vterq; enim Reipub. suæ hostes, uterq;

Po. Ro. inuisus: uterq; suis adulterijs, rapinis, incendijs, oppugnatione bonorum, postremo contemptione deorum immortalium urbe eiectus, finem imperio, hic etiam urbi, unde imperium emerserat, imposuit.

FINIS.



DE AVTHO.

AD FRIDERICVM RO.
Regem sereniſſimum & inui-
ctiſſimum Pro-
œmium.

COmpellit me diue Friderice, Cæ-
ſar Auguſte, Imperator pijſſime,
nonnullorũ inſcicia (ſeu pertinacia eſt
atq; rebellio) tibi ut aliqua ſcribam cũ
de origine progreſſuq; ſacri imperij,
tum de poteſtate authoritateq; ſua. Nã
cum dietim meis auribus perſtrepant
imperitorum, ne dicam maledicorum,
hominum uoces, q populos quoſdam
ac principes, ſic liberos Francoſq; di-
cunt, ut nullo penitus iure Romano Im
perio ſint obnoxij, te uero ſubiectum
legimus: nihil ex priuilegijs cuiuis da
tis poſſe detrahere & à tuis ſententijs
atq; mandatis, appellari fas eſſe conten
dant. Statui breuiter, non quod mihi
uidetur, ſed quod maximi autores, tam
legum

legum interpetes, quàm sancti docto-res, de Cæsarea senciant potestate, in medium afferre, tuęq; magnitudini nō ad notitiam (quid enim est quod prin-cipis pectus ignoret?) sed ad recentio-rem quandam memoriam reuocare, ut confundantur, qui nō ueritati suos affe ctus, sed ueritatem affectibus coaptare nituntur. Accipe igitur pauca ex mul-tis, ac breuissima, ex amplissimis, lege quod scribo, boniq; consule. Te nanq; res ista concernit, ad me nihil spectat præter laborem & inuidiam, quam ex æmulorum Imperij, tuorumq; ho stium indignatione consecu-turum me scio, sed magis e go ueritatem uene-ro, quam illos timeo.

AENEAE SYLVII PICCOLOMINEI SEnen. de ortu & authoritate Imperij Romani ad serenissimum & inuictissimum Principem Fridericum Rom. Regem Lib. I.

CAPVT. I. Quonam modo, & qua nam causa ciuilis uita cœperit.

ROmana Regia potestas, quam sacrum Romanum imperium appellamus, ab ipsa humanæ naturæ ratione, quæ optima uiuendi dux est, cuiq; omnes parere oportet originem ducit. Exactis nanq; ex paradyso deliciarum primis parentibus cum in agris homines, atq; in syluis bestiarũ modo uagerentur, uictuq; sibi ferino uitam propagarent, animaduertit homo

mo(nam rationis participem illũ deus creauit) hominem homini ad bene uiuendum maxime conducere, societatemq; fore plurimum necessariam. Sic ergo qui segregati prius uitam in syluis more ferarum ducebant, siue docente natura, siue deo uolente, totius naturæ magistro insimul conuenere, societates instituerunt, domos ædificauerunt, oppida muris cinxerunt, artes inuenerunt, & cũ alter alterius commodis inseruiret, placebat mirum in modũ singulis uita ciuilis, dulcisq; nimium uidebatur, & propinquorum & amicorum consuetudo, cuius fuerant prius expertes.

CAPVT. II. Vnde & qua ratione regia potestas cœpetit.

VErum sicut ab homine multa parantur homini commoda, sic nulla est pestis, quæ homini ab homine non

nascatur. Cœperunt itaq; homines uio- lare societatem, fidem frangere, pacem turbare, iniuriari conciuibus, uicino- rumq; tum opibus tum matrimonijs in sidiari, rapere aliena, fas omne abrum- pere.

Nec enim pacis æmula mater litium suiq; ꝓdiga cupiditas passa est diu ma- nere ius sanctæ societatis illæsum.

Cũ ergo præmeretur ab initio mul- titudo ab his, q uiribus erant editiores, ad unum aliquẽ confugere, placuit uir tute præstantem, qui & iniurias prohi- beret inferri tenuioribus, & æquitate constituta, summos cum infimis pari iure teneret, idq; nedum una in gente, sed in pluribus factum est. Atq; hi sunt qui postea regis nomẽ obtinuerunt, q- rum constituendorũ causam publica dedit utilitas, iusti prope mater & ęq.

Nec sane aliam ob causam rege fue- rat opus, nec tantæ dignitatis fastigium cuiq; committere oportebat, ut cæteris omni-

omnibus pferretur, honoraret ab omnibus, ac precipet omnib9, nisi ut esset, q publica tueret & iustitiã ministraret.

CAPVT. III. Quid potissimum deceat reges.

EST enim iustitia quiddã ciuile, societatis humanę uincula custodiẽs, dũ uel malefactorũ punit iniquitatem uel bonis uiris præmia tribuit. Est igit regum propriũ (sicut Hieronymus inquit) facere iudicium atq; iustitiam, liberare de manu calumniantium ui oppressos, ac peregrino, pupillo & uiduę, qui facilius à potentibus opprimunt, auxiliũ impertiri. Quo circa niti omni studio Reges debent, ut id mũeris expleant, ad qd se noscunt esse uocatos, ne iustitiam negligant, sed & pauperi simul & diuiti, suum ius tribuant, sic enim pacem suis subditis & sibi tutum tranquillumq; regnum parabunt. Sicut nanq; scriptura testatur, quãdo rex

Iustus sederit supra sedem non aduersabitur sibi quicq̃ malignum.

Principio igitur gentiũ nationumq́ (ueluti dictum est) summa potestas penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis non ambicio popularis sed spectata inter bonos moderatio, puehebat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant, his fines regni tueri, magis quàm proferre mos erat, atq; inter suam cuiq; patriam regna finiebantur.

CAPVT. IIII. Quare monarchia Regiaq; Romana potestas instituta fuerit.

VErum cum plurimos Reges orbis haberet, cœpit (ut fit) pluralitas principum discordiam parere. Namq; cum modo de finibus modo de iurisdictiõe contenderent, nec esset qui lites dirimeret, nisi gladius, cum nemo minorem

norem ſe altero reputaret, ſtræpentibus bellis, nec ciuitas cum ciuitate, nec prouincia cũ prouintia conuenire poterat, dulceꝗ illud ac ſuauiſſimum humanæ ſocietatis commertium prohibebatur. Sed affuit præſto benigna hu manæ naturæ prouidentia, quæ ſuopte ingenio ad optima tendit, nec uult quæ ſunt quæꝗ futura ſunt male diſpo ni. Hac igitur operante ad unum principatum, quem græci monarchiam, no ſtri uero imperium uocitant, reduci ſin gula placuit. Namꝗ ut priuatorum ho minum exorbitantes impetus, iuſta regum moderatione compeſci natura di ſpoſuit, ſic & ipſorum regem per unũ principem immenſas frenare cupiditates inſtituit. Nec enim aliter pax uniuerſalis haberi poterat.

Hinc illud Aſſyriorum imperium exortum eſt. Quod Ninus, Semiramis cõiunx ſuper omnes populos orientis extendit, quod nonnunquã per Medos

&aliquando per Persas constat admi-nistratum, hinc Græcorum principat, Alexandri magni uirtute atq; fortuna ex Europa in Asiam, atq; Libiam am-pliatus ad obedientiã sui mundum re degit, Hinc Carthaginense dominium per Affricam Europamq; late patens ad Scipionis usq; uictoriã perdurauit.

Sed cum hæc imperia nunq; sibi totum orbem subiecissent, ac propterea pacem uniuersalem parere non potuerint, placuit siue naturæ humani generis altrici, siue ipsius naturæ domino rectoriq; deo Romanum imperium excitare.

CAPVT. V. Quibus olim magistratibus urbs Romana regi cœperit. Et unde maiestas Imperialis fuerit instituta.

ROma uero ab initio per reges gubernata est, septẽq; regibus paruit, quos constat omnẽ habuisse potestatẽ.

Quibus exactis cõsules constituti sunt penes quos summum ius uti esset lege rogatum est. Sed hi quamuis possent ciues cohercere, atq; in uincula publica deducere, in caput tamẽ ciuis Romani animaduertere non ualebant, nec prouocatio erat ab his prohibita. Quo in regimine per multi tumultus fuere, sæpeq; plebe cum patribus discordante, uariata est gubernatio ciuitatis. Nam & aliquando per decem uiros & aliquãdo per tribunos, sæpius tamen per consules regimen actum est, populo deinde aucto cum crebra orirentur bella, & acriora, quædam à finitimis inferrentur, urgente necessitate, placuit maioris potestatis constitui magistratum, prodieruntq; dictatores, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduersio data est, sed tẽporaria fuit istorũ potestas: paulatim nãq; natura ad id quod optimũ erat, iter parabat.

Ad extremum autẽ, cũ neq; populus

neq;

neq; Senatus, nec alij magistratus, satis probe prouincias urbemq; regerent, necesse fuit reipublicæ per unum consuli, constitutoq; principe, datum ei ius est, ut ratum esset quicquid ab eo constitueretur. Cui rei principium Iulium Cæsarem præstitisse, non est ambiguum. Per eum nanq; regimenta reipublicæ ad imperatores ꝑpetuo sunt translata.

CAPVT. VI. Imperatoriam magiestatem diuinitas à Christo Iesu adprobatam esse.

IMperatorum potestas non solum ui naturæ introducta est ad publicam utilitatem, sed etiam per dominum & saluatorem nostrum Christum Iesum dei filium (in cuius manu sunt omnia regna mundi) & uerbo comprobata reperitur & facto, qui & nasci uoluit cum uniuersus describeretur orbis, & Augusti Cæsaris censum tulit. Nec hoc con-

cōtentus dari etiam pro se ac Petro tributum iussit. Interrogatus quoq;, an Cæsari dare censum liceret, uiso nummismate, reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo.

Hinc beatus Ambrosius, si tributū, inquit, petit Imperator, non negamus, agri ecclesię soluant, & insuper magnū quidem est, & speciale documentum, quo Christiani uiri sublimioribus potestatibus docent esse subiecti, ne quis constitutionem terreni regis putet esse soluendam. Si enim censum filius dei soluit, quis tantus es, qui non putas esse soluendum; Assunt & alia Christi oracula quibus Imperij potestas extollitur. Namq; dum ait Pilato, nō haberes aduersum me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper, quid aliud osten dere uoluit quàm Romani principis, cuius uicem Pilatus gerebat, ex deo potestatem prodire: Quod si desuper ad Cęsarem referamus qui erat potestatis

Pilati

Pilati author tantundem habemus, nã illam Christus approbat, ac secundum carnem se illi submittit.

Inde Iustinianus Cæsar imperium sibi à cœlesti maiestate traditum asserit.

CAPVT. VII. Ecclesiasticam potestatem à Christo pariter esse constitutam.

HInc etiam illa Christi uerba trahuntur, cum dicenti discipulo, ecce gladij duo hic, sufficit, inquit, quo dicto spiritualia summo põtifici & temporalia Cęsari, uti doctores interpretantur subiecit, ac si diceret, duæ potestates sunto, spiritualis & temporalis. Nam satis sunt ad uniuersalis ecclesiæ gubernationem.

Hinc sacri canones ad firmamentũ cœli. i. uniuersalis ecclesiæ fecisse deũ in principio duo magna luminaria dicunt, id est, duas potestates instituisse, quæ sunt pontificalis authoritas, & regalis

galis potestas, & alteram diebus, i. spiritualibus, alterã uero noctibus, idest temporalibus præesse.

Duo sunt enim (ut Gelasius inquit) quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra pontificum, & regalis potestas. Quod si quis percontetur, cur tantopere laudetur unitas, cur duabus his potestatibus una duntaxat persona non sit præfecta, cum & apud gentiles nonnunquam sacerdotis officium obiuerit Imperator, & in ueteri testamento legamus Melchisedech regem ac sacerdotem fuisse. Nicolaum papam audire debemus, sic enim ait.

Cum ad uerum uentum est, ultra sibi nec Imperator, iura pontificatꝰ arripuit, nec pontifex nomen Imperatoriũ usurpauit, quoniã mediator dei & hõinũ, hõ Christꝰ Iesus pro actibꝰ ꝓpriis et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusq; discreuit, propria uolens medicinali humilitate sursum efferri,

non

non humana superbia, rursus, in inferna dimergi, ut & Christiani Imperatores pro æterna uita pontificibus indigerent & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur, quamuis spiritualis actio à carnalibus distaret in cursibus, & deo militans minime secularibus se negocijs implicaret, ac uicissim non ille rebus diuinis præsidere uideretur, qui esset secularibus negocijs implicatus.

In patrimonio tamen beati Petri (sicuti canones asserunt) libere potest Apostolica sedes nedum summi pontificis authoritatem exercere, sed etiam summi principis exequi potestatem.

CAPVT. VIII. Antichristum non uenturum, donec Imp. Romanum steterit.

HAbet quoq; Romanum imperium (ut quidam autumant) aliud priuilegium,

legium, nec enim eo ſtante uenturum exiſtimant Antichriſtum. Sic enim doctoris gẽtium Pauli uerba illa interpretantur, q tenet teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille filius iniquitatis, quem dominus ſpiritu oris ſui interficiet. Quam ſententiam etiam diuum Auguſtinum liquet eſſe ſecutũ.

Hæc igitur ſumma Romani principis authoritas, quã cõmunis utilitas deſiderauit, natura inuenit, deus dedit, filius confirmauit, conſenſus hominũ approbauit, de ſtirpe duarum rerum ſicut Iuſtinianus ait, proueniens, uimq; ſuam exinde muniens. Felix Romanorum genus omnibus ante poni nationibus, omnibusq; populis dominari fecit. Nec genus ulla fuit orbe toto, quæ collum non inclinarit imperio, niſi cui Romanus populus fœdum putauit imperare. Et quamuis aliquando ſumma poteſtas penes populum fuit, conſtituto tamen (ut diximus) principe Lege anti

qua quæ, Regia nuncupatur, populus ei & in eum omne suum imperium, ac potestatem contulit. Nec enim uel popularе regimen, quod politicũ uel optimorum ciuium, quod aristocraticum appellatur, tam iustum tanq̃ pacificũ esse potest q̃ monarchicum, q̃d in Romano principe recognoscimus. Quod aliquando per italos, aliquando per Hispanos, interdum per Affros, Dalmatasq; constat administratum. Peruenit etiam ad Græcos, diuq; apud Constantinopolim tantæ gloria dignitatis permansit. Et q̃uis aliquando duo simul fuerint Augusti, ut Diocletianus & Maximianus, nonnunquam etiam plures, id tamen usurpatione magis quã iure contingit.

In apibus enim inquit beatus Gregorius, princeps unus est, grues unam sequuntur, imperator unus. Obuenit autem hæc dignitas, nunc senatus electione, nunc militari fauore, nunc principis ordinatione. Caput.

CAPVT. IX. Quare Romanum imperium fuerit à Grecis ad Germanos translatum.

DEmum uero negligentibus Romam Græcis, eamq; nunc Barbarorum, nunc aliorum direptioni relinquentibus, populus ille Romanus, qui suo sanguine tantum pararat imperiũ, qui suis uirtutibus monarchiam fundauerat orbis, uenientẽ in auxilium eius Carolum magnum Francorũ regem, natione Germanum, qui urbem sacraq; loca ab omni hostium incursione defendit, primo patritium post Augustũ concurrente, summi consensu pontificis salutauit eum Cæsarem. Generali itaq; modo in Germanos Romanum imperium constat esse translatum, quod per uarias manus deductum, ad te deniq; diue Cæsar Friderice, per legittimam electionem deriuatum est,

K tibiq;

tibiq; suprema in temporalibus est ex alto commissa potestas, ut bella foelici- ter peragas, pacem decores, & reipub- licæ statũ sustentes, ad quas res omnes populi, omnes natiões, omnesq; reges & principes tuo debent imperio liben- tibus animis se submittere.

CAPVT .X. Omnes & populos & potentatus iure sub Romano Im peratore esse in temporali bus & secularibus, uti Pont. Max. in spi- ritualibus.

NAnque sicut in spiritualibus Ro- mano Pontifici singuli patriarchę primatesq; cæteriq; pontifices & præ- lati subiecti sunt, ꝗuis & hoc aliquan- do Græci negarint, & adhuc perfidum Hussitarũ genus inficietur, sic et Roma no principi temporales quoslibet li- quet esse subiectos.

Et enim cum canonum authoritas

Impe-

Imperatorem in temporalibus eos pręcellere dicat, qui ab eo recipiunt temporalia.

Quis non uidet & populos & principes omnes ab Imperatore (qui mundi dominus est) recipere tēporalia, sibiq; idcirco debere obedientiam?

Iure enim humano (ut Augustinus inquit) dicitur hæc uilla mea est, hic seruus meus est, hæc domus mea est, iura autem humana iura imperatorū sunt, exinde sicut ab initio retulimus, cum ratio ipsa naturalis ostendat, unum esse principem oportere, qui lites dirimat, iustitiam administret, populos in pace custodiat, ac temporalibus præsit omnibus, manifestum est huius muneris dignitatem Romano regi competere, quem diu constat in possessione eius fuisse, nempe quamuis aliq parere Romano negent imperio, nemo tamē post Augusti Octauiani monarchiam, tantam uesaniam induit, ut sub alio, quam

 sub

ſub Romani regis titulo, mundi domi-
num orbiſq; principem ſeſe auſus fu-
erit appellare.

CAPVT. XI. Errare eos, qui ſe ita adſerunt exemptos, ut nihil imperio debeant.

CAeterum ut horum ſententiã ex-
pendamus, qui ſe tanta fretos aſſe-
runt libertate, ut nihil omnino impe-
rio teneantur, quadamq; ſe potiri dicũt
exemptione, quãuis iſtorum proterui-
tati potius armis, quam legibus obui-
andum foret, ut quo iure ſe putant ex-
emptos, eodẽ ſe ſcirent eſſe ſubiectos,
libet tamen aliquid in hac re ſcribere.
Cuncti profecto, qui ſub iugo negant
imperij, aut id priuilegio ſe aſſerunt aſ-
ſecutos, aut uirtute aliqua. Priuilegiũ
autẽ ex beneficentia imperij ſuſcepiſſe,
aut aliunde, hoc ſecundo caſu non eſt
opus confutatione, cum enim Roma-
num imperium adeo ſuper omnes mor
tales in temporalibus ſit erectũ, mani-

festi iuris est, neminem esse, qui ei possit inferre praeiuditium. Cassa nanque sunt omnia atque irrita, quae ab eo fiunt, qui potestatem non habet, nec ratum est quicquam, quod per iniuriā agitur, quod si ab Imperio talis manauerit exemptio, dicimus eam & hoc casu nullius esse momēti, nam & si maxima sit atque amplissima Romani principis authoritas, eo tamē priuatur Augustus, ut sui similem non possit efficere, quod certe faceret, si regē aliquem in omnibus liberum a redderet, & exemptum: posset nanque successu temporis tot eximere, ut nedum sibi parem, sed etiam maiorem se inueniret. Quod esse absurdum neminem fugit.

Idcirco nanque princeps Romanus Augusti nomen accepit, ut nō minuere, sed augere imperij potestatē deberet. Nec propterea minor est eius authoritas, quia similē sibi non potest creare, sicut nec deus desinit esse omnipotens, quamuis in deitate non possit nisi unicus fore.

CAPVT.XII. Monarchiam uel solam pacis uniuersalis esse causam, quam & illa conseruet.

PRæterea cũ (sicut supra retulimus) ex iure naturæ fundatum constet imperium, atq; ad pacem tenendam, iustitiamq; distribuendam monarchia sit necessaria. Certum est talia priuilegia non ualere, quæ multitudinem summarum afferunt potestatum. Nascunt enim ex hoc discordię, frequentes fiunt rapinæ, multimodæ committuntur neces absq; numero, cum pace turbata, hinc atq; inde bella grassentur, existente nemine, qui maior omnibus iuris ordine litibus possit imponere modum. Quod si uno sub capite uiueremus, si unam omnes sequeremur obedientiã, si unum duntaxat in tẽporalibus supremum principem recognosceremus, floreret ubiq; terrarũ pax optima, dulciq; omnes concordia frueremur.

Cuius

Cuius rei signum est manifestum, quod ab initio nascentis mundi usque in hoc æui, nunquam pacē fuisse legimus uniuersalem, nisi cum in unum Cæsarem Augustum in modum cœlestis regni, totus orbis oculos dirigebat. Quod licet ob reuerentiam Christi redemptoris nostri tunc contigerit, qui nostram humanamque formam induit, sufficere tamen debet diuinum illum mundi fabricatorem, uiam hanc ostendisse pacis habendæ, cum orbis sub uno principe regeretur. Liquet igitur priuilegia, quæ monarchico regimini obuiant, ex quacunque ueniant potestate non habere uigorem, eaque non solum per successorem, sed ab ipso quoque qui concessit esse cassanda, nec enim tollerare principem decet, quæ ad subuersionem tendunt imperij.

CAPVT. XIII. Errare quoque eos, qui se suis uirtutibus exemptionem ab imperio meruisse ferunt.

SED aiunt aliqui proprijs se uirtuti- bus id priuilegij meruisse, quāuis imperij non interuenit authoritas, dicunt enim se suis armis, suoq́ sanguine, prouincias uendicasse, quæ uel à barbaris, uel ab hostibus Christiani nominis occupabantur, nec Romanum recognoscebant imperium. Quod quàm ridiculum sit, iniustum, absonū, ex superioribus licet intueri. Insuper quoq́ si dignū hoc est, nec illud erit indignum, si quod aliquis iniuste rapuit, alius ui recipiat, sibiq́ teneat, nec uero domino reddat, quod nemo dixerit esse iustum. Constat enim omnes prouincias (ut ante diximus) sub imperio quondam fuisse, cuius directū dominium apud Romanum principē assidue mansit. Itaq́ licet barbari super uenerint, uiq́ illas inuaserint, si tamen postea recuperantur non uindicatori dandæ, tanquam exempto, quāuis laudandus præmiandusq́ sit, sed imperio sunt restituendæ. Nullius enim tanta

laus

laus est, tantaq; uirtus, ut eius causa de-
stitui debeat imperium.

Semper nanq; maior est utilitas pub
lica quam priuata, nec committendum
(ut iam probauimus) quod propter cu
iusquam merita potestas aliqua eriga-
tur imperio similis, qualis in exemptis
esset, qui nullum superiorem admitte-
rent, quę res monarchiæ dignitatis ner
uos elidit, sçisma sub imperio facit, &
omnem humanæ societatis concordiã
dirimit.

CAPVT. XIIII. Quid ueniat adpellatione, sub imperio esse.

NON tamen propterea Regum, &
aliorum principũ magnam esse po
testatem inficiamur, sed esse eos sub im
perio dicimus, eorumq; correptionem,
quando Tyranni efficiuntur, ad Ro-
manum principem pertinere, causas
regum

regum asserimus Cæsari remittendas, tenerique omnes pro salute communi Imperatori parere, uenire ad bellum uocatos, conferre impensas, mittere auxilia, præbere transitum, elargiri commeatũ, nihilque fugere, quod Cæsarea maiestas iniunxerit, ut quam ipsi à suis subditis obedientiam exigunt, eandem suo domino præstent Imperatori.

CAPVT. XV. Quibus de causis ab imperatore priuilegia data reuocari possint.

VErum quoniam de priuilegijs mẽtio incidit dicemus aperte, quid in re hac priscæ doctores sapientiæ tradiderint. Est equidẽ Romani principis, ciuitatibus, principibus, regibus, tum propter merita, tum propter urgentes causas, priuilegia elargiri, sed ea talia esse conuenit quæ uires imperatoriæ potestatis nequaquã extinguant, eaque

pôteſt Imperator, tam à ſeipſo, quam à ſuis anteceſſoribus conceſſa declarare, interpretari, ac cum cauſa fuerit abrogare uel illis derogare.

Auferuntur nanq; priuilegia cum ex falſis narrationibus obtenta ſunt, impetratis nanq; carere debet mẽdax precator, reuocantur cum male utuntur, q̃ illa ſunt aſſecuti. Priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, caſſantur cum male mereri incipiunt, qui eadem bene merendo obtinuerũt, irritantur ſi damnoſa reipublicæ reperiantur, quæ cum data fuerũt erant utilia, uel ſi bonis moribus contrariantur, aut ſi magnã imperio iacturam ſeruata faciunt, quæ ſublata grandem præberent utilitatem. Quoniam ſicut maius bonum minori præponitur, ita communis utilitas ſpeciali præfertur utilitati. Nec ſane priuilegia ulla conferre, uel tollerare Cæſarem conuenit, quæ uel delicta inducant, uel cõmunem

munem auferant commoditatem. Ideo nanq; imperialem fortunam rebus humanis deus præposuit, ut possit omnia, quæ nouiter contingunt, & emendare & componere, & modis & rebus competentibus tradere. Absq; tamen rationabili causa, nec auferenda sunt priuilegia, nec derogandũ est eis. Omnis nanq; potestas, quæ à deo data est, ut inquit Apostolus, in ædificationem tradita est, non destructionem. Quæcunq; igitur priuilegia iuste cõcessa sunt, manentq; iuste, sine detrimento reipublicæ, seruanda sunt. Decet enim priuilegium principis esse mansurum. At cũ priuilegium, quod olim utiliter concessum est, dannosum efficitur, satis est euellere malam arborem quam nutrire. Si enim iuxta euangelicam ueritatem, arbor quæ fructum non affert, excidi debet, in ignemq; mitti, quanto magis excidenda est, quæ reipublicæ officit arbor?

Caput

CAPVT. XVI. Imperatorem non obligari ad rationem redigendam suorum facto-rum, sed de ijs bene præsumendum esse.

VErum cũ in omnibus, quæ geruntur à principe causa præsumatur & ratio facti, si qñ uel abrogare priuilegia uel ipsis derogare principem cõtingat iniuste, quamuis liceat eum per uiam supplicationis informare, humiliterq; petere restitutionem, non tamẽ re clamare licet, uituperare uel impugnare, si perseuerat. Cum nemo sit qui de suis factis temporalibus possit cognoscere. Tollerandũ est patienter, q̃d princeps facit, quamuis inique, expectandaq; est successoris emenda uel supni correctio iudicis, qui uiolentias atq; iniurias non sinit esse perpetuas. Cogitandũ insuper est quod princeps agit, dei fieri permissione, quia cor regis (ut inquit scriptura) in manu dei est, & ubi uo-

uoluerit inclinabit illud. Deus autem sæpe propter peccata subditorum deprauari permittit uitam rectorum. Ex quo fit, ut occulto dei iudicio apud deũ iusta nonnunquam reperiantur, quæ nobis uidentur iniusta.

CAPVT. XVII. Cæsarem etiam alijs uel bonis auferre posse bona temporalia.

DIcendum est etiam aliud quod alijs quibus fortasse durum uidebitur & absurdum, sed nõ debet taceri, quod uerum est dictuq; utile, quid obstas penna, quid molesta es, cur nõ reddis attramentum, exprime Cæsaris priuilegiũ, nullum timeas, dũ uera scribis. Nempe liberum est Imperatori non solum homini nequam, sed etiam uiro bono, ac de republica bene merito proprium agrũ, proprias domos, propriasq; possessiones auferre si reipublicę necessitas id

id expoſtulat. Hinc uidemus prædia ruſtica, quæ bellis immentibus damnoſa ſunt ciuitati, cum ædificijs incendi, agros effodi, uineas amputari, frumenta ex priuatis horreis, pecuniasq; ex arcis ad publicum uſum deduci, quãuis hoc ſingularibus hominibus uideatur eſſe damnoſum, minus tamen malũ eſt priuatos uiros luere, quam rempublicam peſſundari.

CAPVT. XVIII. Rempub. ab omnibus eſſe priuatæ rei utilitatiq; præponendam.

NAM nec opes priuatæ ſtare poſſunt, niſi ſalua republica, his tamẽ hominibus qui propter rempublicam ſingularia perferũt detrimenta, ex publico compenſandum eſt, atq; ita curandum, ut incommoditas belli, non ad unum uel paucos, ſed ad omnes æqualiter perueniſſe uideatur, quod ſi reipub

licæ status, id non patitur, tollerabilius unum est pati quam uniuersos. Nam si ciuis pro salute sua omnia dabit quæcunque habet, quanto magis id reipublicæ causa faciet, cum non solum nobis nati simus, sed etiam reipublicæ, cui non minus quam nobis ipsis debemus parare diuitias. Nautæ cum tempestas emersit, quæcunque sunt in naui bona pro salute personarum deijciunt. Quod si hominem aliquem naufragij præstare causam putant & hunc etiã marinis committunt fluctibus, sicut de Iona legimus in sacris literis, & apud gentiles de Orione scribunt Poetæ. Expedit nanque unum hominẽ mori pro populo, ne tota gens pereat, quam rem bonus ciuis æquo animo pro republica tollerabit. Apud Romanos Curius libenti pronoque animo pro salute reliquorum ciuium in hiatum terræ sese præcipitauit. Apud Græcos Ephigeniam pro felici omnium nauigatione, iubente patre, sacrificatam

ficatam Historici tradunt. Sicut enim membra quædam amputantur si ipsa languere, & tanquã spiritu carere cœperint, ne reliquis noceãt corporis partibus, sic & aliq homines propter rempublicam pati debent, quamuis nihil mali uideantur prometuisse, si cũ ipsis respublica perit, quæ sine ipsis salua esset. Turpis enim est omnis pars, quæ suo toti non conuenit, & semper minus malum tollerandum est, ut euitetur maius, nec graue uideri debet, si pro salute corporis, pedem uel manum, ut sunt in republica ciues, dicimus resecandam, cum princeps qui caput est, mystici reipublicæ corporis cum salus communis expostulat uitam ponere teneatur, sicut Athenieñ Codrum, & apud Lacedomonios Leonidã tradunt fecisse, qui pro salute suorum ciuium ultroneas obierunt mortes. Imitandus est enim Christus Iesus, qui non solum pastoribus, ut animas

 pro

pro suis ouibus ponerent, imperauit, sed ipse quoque, cum esset caput Ecclesię, princeps & rector, ut nobis mortem demeret, uoluntariam mortem subiuit.

Nunc quemadmodum circa leges habere se principē oporteat, breuiter absoluendum est.

CAPVT. XIX. Imperatoris adeoque Cæsaris esse, condere, soluere, interpretarique leges.

LEges sacratissimas, Quæ constringunt hominum uitas, uniuersique mūdi ceruicibus imponuntur solius Imperatoris est condere, cui quicquid placuerit, legis habet uigorē. Quodcunque enim Imperator per epistolam & subscriptionem statuit uel cognoscens decreuit, uel de plano interlocutus est, uel edicto præcipit, legem esse constat.

In legibus autem conditis si quid uisum fuerit ambiguum, ad imperiale culmen,

culmen, per iudices referri debet, ut ex authoritate augusta manifestetur, cui solum concessum est leges condere & interpretari, nec quisquam sanę mentis negabit leges posse ab eo dissolui, à quo sunt conditæ, cum'q; Imperator sit, qui uim legibus authoritatemq; impartitur. Constat & ipsum legibus derogare posse, illasq; abrogare cum causa fuerit rationabilis.

Etenim si decem uiris data facultas est, decem tabulas legũ ex Græcia missas interpretari atq; corrigere. Si prætoribus permissum est, ius nouum condere, uetusq; reprehendere, quis non hanc facultatem in Cæsare recognoscat, in quem totam (sicut ante relatum est) Romani populi potestatẽ constat esse translatam?

CAPVT. XX. Imperatores non esse legibus subiectos, oportere tamen illos iuxta leges iudicare.

VErum cum nihil tam ſtudioſum in omnibus rebus inueniatur, quàm legum authoritas, quæ & diuinas & humanas res bene diſponit, & omnem iniquitatem expellit, dignum eſt principẽ ſecundum leges, & uiuere & iudicare, eſt enim lex inuentio quædam & donum dei, oculus ex multis oculis, & intellectus ſine affectu. Nec facile diſſolui debet, quod à pluribus accurate digeſtum eſt, cum magna lucubratione introductum. Hinc dicere conſueuit Imperator, digna uox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe principẽ profiteri. Quod quamuis pulchrum eſt dicere, non tamen aſſerendum eſt, Imperatorem legibus eſſe ſubiectum, cum ſit ſolutus.

Eſt enim aliud quiddam, cui plus quam legibus obnoxius eſt Imperator, hoc ipſum æquitas eſt, q̃ non ſemper inuenitur ſcripta.

Aequitas enim eſt, quod præter le-

gem scriptam iustum est. Quod si aliud lex iubet, aliud æquitas suadet, conuenit Imperatorem iuris rigorem, æquitatis freno temperare, cui soli inter æquitatem iusque interpositam interpretationem incumbit & licet inspicere.

Exinde cum nulla iuris sanctio, quantumcunque digesto propensa cõsilio ad humanæ naturæ ueritates & machinationes eius, inopinabiles sufficiat.

CAPVT. XXI. Leges humanas quandoque mutari abrogarique posse.

CVmque humani iuris cõditio semper in infinitum decurrat, nihilque sit in ea, quod stare perpetuo possit (multas enim formas eadem natura nouas deproperat, & secundum tempora statuta uariantur humana) manifestum est æui cursu, quæ leges olim iustæ fuerunt, iniustas reddi, fierique nũc inutiles, nunc duras, nunc iniquas.

Ad quas moderandas opus est princcipe, qui legum dominus est, nā si quid in eis latum fortassis obscurius fuerit, Imperatorem conuenit declarare, duriciamq; legum, suæ humanitati contrariam, & incongruam emendare.

Quod enim dicitur, legem, quamuis duram esse seruandam, inferiores iudices non Cæsarem respicit, in quo est uis illa moderandarum legum, quā epicheiam uocant, quæ tamē annexa est summo principi, ut nullis possit humanis euelli decretis. Sed hac suprema potestate sine magna & urgēti causa uti principem minime conuenit, imitandus est enim ille Theopompus Aristotelicus, qui ut principatum suum efficeret diuturniorem, raro hanc potestatem exercebat.

Quamuis enim lex imperij solennibus iuris, Imperatorem soluerit, tamen nihil tam porprium est imperij q̄ legibus uiuere. Nec mutandæ sunt leges

sine

ſine cauſa, nec nouæ inſtituendæ abſq; euidenti utilitate, & licet in omni principis actione legitimã ſubeſſe cauſam, reputare nos deceat, qui ab eius placito non poſſumus reſilire.

Cauendum tamen Imperatori eſt, ne ſine ratione libidines potius ſuas quam iuſtas leges ſequatur, fiatq; deo maximo reus, apud quem potentes potenter tormenta patiuntur, qui iuris æquitatisq; tramitem reliquerunt.

CAPVT. XXII. Ab imperatoris ſententia nec poſſe nec debere prouocari.

NVnc ultimo loco de appellationibus tranſigamus, eoſq; confutemus, qui à ſententia ſummi principis aſſerunt appellandum.

Etenim ſi à præfectis prætorio prouocatio non recipitur qui ſubſunt Cæſari, multo minus recipienda eſt, ſi Cæſar ipſe ſententiam tulit, qui nullum ha

bet, in temporali causa superiorem?

Hinc litigatores causas iubentur suas, quæ coram tribunali uentilantur augusto, plene instruere, ne lis incognito negotio dirimatur, adempta copia conquærendi.

Exinde cum in præfectis prætorio, idcirco nō admittatur prouocatio, quia credit, princeps eos, qui ob singularem industriam explorata eorum fide & grauitate, ad huius officij magnitudinem adhibentur, nō aliter iudicaturos esse quam ipse iudicaturus fuisset, quis non intuetur aperte rationem istam multo magis in Cæsare nullam prouocationem ad mittere? Quis insuper prouocari à præfectis prætorio prohibuit nisi Cæsar? Quod si Cæsar sic iudicem ex suis aliquem extollit, ut ab eo appellari nequeat, quis tam hebes est, ut à Cæsare reputet appellandum? Notum insuper est, nō licere à legibus appellare.

Lex enim (ut dictum est) quanquam dura, ferenda est.

At cum sententia principis partibus quo minus constitutis lata, non solum illi causæ, pro qua introducta est, sed omnibus similibus lex sit, quis eo temeritatis excedit, ut à sententia, quæ uim legis habet, appellet, cum Romani non solum à legibus, sed ab his quoque appellare prohibuerint, qui iussu populi decem tabulas intueri legum, reformareque tenebantur. Sed appellant quidam rursus ad Cæsarem adiunctis principibus, quasi maior sit Imperator cum illis quam sine illis. Quod si uerum esset, iterum etiam ab Imperatore ac electoribus ad ipsos adiunctis alijs principibus appellare liceret, & usque in infinitum processus fieret, cum homines in proprijs factis affectione magis quam ueritate ducantur, ac ut plurimum iustam se putent habere causam, minusque iuste contra se iudi-

iudicatum; sed uana atque inania sunt istorum fundamenta. Tanta est enim in Cæsare potestas, sine principibus, quanta cum ipsis; amat enim unitatem suprema potestas, suaque sponte ex multitudine fugit ad unum.

CAPVT.XXIII. Imperatorem bifariam offendi ab eo, qui ab eius adpellat sententia.

CVMque in Cæsare summa potestas sit, summaque authoritatis plenitudo, nil est quod adiunctis principibus authoritatis accedat, quoniã neque summo adiici quicquam potest, neque plenũ potest effici plenius. At qui prouocat, quasi superiorem appellat, qui latam contra se iniquã sententiam corripiat, qua in re duplici temeritate, maiestatẽ ledit imperialem. Nam & superiorem ei nititur assignare, qui omnibus principibus est superior, & iniquitatem illi ascri-

bit, quem ſemper æquum iuſtumq́ reputare debemus, quapropter qui talia tentant, non ſolum prohibendi ſunt, ſed etiam debitis pœnis atq́ animaduerſionibus cohercendi.

Cũ iuxta canonicas ſanctiones quædam ſint culpæ, in quibus culpa eſt, relaxare uindictam. Etenim quamuis à ſummo ſolio nonnunquam procedat iniquitas, iniuſtumq́ iudiciũ prodeat, non tamen idcirco locus eſt appellationi, cum nemo ſit iudex, qui temporalia Cæſaris facta ualeat examinare. Vtilius inſuper eſt reipublicæ ad extinguendas lites paucis iniuſte oppreſſis appellationis beneficium denegari, q̃ multis calumniantibus poſtquam iuſte damnati fuerint, querelarum ianuas aperire. Cum rariſſimi ſint, qui ſe iuſte reputent cõdemnatos, ſemperq́ minus malum tollerandum ſit, ut euitetur maius. Nempe ubi ſemper licitũ eſt appellare, ibi quoq́ lites ſine fine reperiuntur,

tur, ibi sunt inimicitię, ibi cõtentiones, ibi noua dietim scandala. Quod si ciuitates aliquæ à suis p̃sidibus appellari non sinunt, quis tu es, qui uelis à supremo Cæsaris Tribunali appellare, maiorisq; authoritatis unum Ciuem, in dignitate constitutum q̃ Imperatorẽ reputare? An non sicut in spiritualibus unum caput est, à quo nullum appellare licet, & ad quẽ ab omnibus appellatur, sic etiam conuenit in temporalibus obseruare?

Romani pontificis sententiam nulli fas est, in irritum reuocare. Romani principis uoluntatem nemo potest impugnare, satius enim est iniustam sententiam istum ferre uel illum, quã per quærelas id agi, ut imperio superior detur. Si enim ab Imperatore uis appellare, ab eo quoq; prouocare desiderabis condemnatus, quem post Cæsarem appellasti, nec tuis inueniri poterit appellationibus modus.

Quod

Quod si alterius iudicio uis quiescere, quin potius arbitrio quiescis Imperatoris, quem super omnes mundi homines in temporalibus deus cōstituit.

Sit tandem finis litium, sit caput inter principes, sit qui temporalia termi net, auferatur materia litigandi perpetua, cognoscant hōines se principi esse subiectos, Imperatoremq; mūdi dominum tanquam dei uicem in temporalibus gerentem uenerentur, & sicut quę deus iubet implenda sunt, nihilq; contra replicandum est, sic temporalia Cæsaris mandata sine repugnatione suscipiant.

Curent autem ipsi Cæsares ne quenquam iniuste opprimant, causamq; prębeant hominibus ad deum clamandi, cuius est terra & plenitudo eius, q nec obliuiscitur clamorem pauperū, & propter iniustitiam de gente in gentē transfert imperium.

Nihil est enim quod illi maximo deo rectori

rectori orbis, cœliq; fundatori grauius sit, quam iustitiæ neglectus, indignaq; pauperum oppressio, sicut enim Psalmista canit: nō in fine obliuio erit pauperis paciētia, pauperū nō peribit in finē.

CAPVT. XXIIII. Summatim neminem rebus in omnibus temporalibus esse Imperatore superiorem post deum opt. Max.

HAEC tibi diue Cæsar Friderice de tua, sufficiat, suprema potestate, breuiter, & succincte scripsisse, ex quibus percipere potes, quanta sit tui solij, quamq; admirabilis authoritas, cū nemo tibi in temporalibus præsit, & tu omnes præcellas, cum nemo si qui tuū in temporalibus refugere possit imperium, & tuum sit omnibus imperare, cum nemo ex tuo iudicio sit exemptus, & tu omnes temporales ualeas iudicare, cum nemo à te prouocare queat, &

ab

ab omnibus ad te liceat appellare temporalibus, cum priuilegia legesque possis interpretari atque corrigere, cum ad tuendam imperij maiestatẽ, reique publicæ statum seruandum, omnes populi, nationes, principes, reges, tuis debeant obedire mandatis.

Quæ cũ ita sint, cauere tamen debes, ne sine ratione aliquid agas, ne uel ad tuam uoluptatem, potius quam ad subditorum utilitatem regas imperium, atque sic ex rege fias Tyrannus, cum quo nulla nobis societas, nullumque debet esse commertium, sed potius summa distractio. Quod ut euites, tanto magis eniti debes, quanto propter pacem, populis datam, iustitiam bene administratam, remque publicam rite directam, actorem facti in sublime prouectum, gratiori semper trãquillitate deus custodit. Vale feliciter, ex Vienna Kal. Martijs. M. CCCC. XLV. Regni tui Anno sexto.

M. Pomponij

POMPONII LAETI DE ROMANO-rum legibus, ad M. Pantaga-thum, Libellus.

IVS, pluribus modis dici-tur: Naturale, quod est com mune omnibus animalib9. Ius gentum, quo gentes hu-manæ utuntur. Ius ciuile, q̃d ex legibus, plebiscitis, senatus consul-tis, decretis principũ, & antoritate pru dentiũ uenit. Ius publicum in sacerdo-tibus & magistratibus consistit. Ius pri uatũ, ad singulorũ utilitatẽ. Ius etiam dicitur locus, in q̃ ius redditur, ut me-minit Paulus de lege & de legis origi-ne. Lex (ut Chrysippus definit) est diui-narũ & humanarum rerũ notitia, Lex dicitur rogatio & obnunciacto, Lex do nũ est Dei, dogma hominũ sapientum, comercio uoluntatis, Legis uirtus est imperare, uetare, punire, pmittere, Lex est æternum quoddã, quod uniuersum mundum regit, imperandi prohiben-

dicq; sapientia: ex hac lege lex nostra est, ratio mensq; sapientis æqualis dei est lex, constatq; ad salutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatē, uitamq; omnium quietam & beatam. Igitur ubi lex non est, quies & beatitudo non est: & apud illos antiqſſimos mos sapientū lex erat, id erat, quoniam antiquitas proxime accedebat ad deum. Lex magistratibus præest, & magistratus populo. Optime putat Cicero, magistratum esse legē loquentem, imperandi & obtemperandi modus debet esse: Nam & qui bene imperauerit, aliquādo obtemperet necesse est: & ipsi mortales non solū obtemperare et obedire magistratibus debēt, sed eos colere atq; diligere. Potestas est facultas à populo seu principe publ. data. Magistrat9 dici cœptus est, cum à populo creatus fuit magister populi, id est dictator. Prima fertur Ceres dedisse leges mortalibus, postea ipsi sapientes, Phoroneus Argiuis dedit, Moses cœlo lapsas Hebræis, Aegyptijs Mer-

curius, Draco & Solon Atheniẽsibus, Minos Cretensibus, Lycurgus Lacedę moniјs, Turiјs Charundas, Romanis Romulus.

DE Allia & Fusia. LL. Allia & Fusia lege resistebat̃ pniciosis legib9 in ciuitate, quæ ideo erant propugnacula & muri otiј & tranquillitatis. Sed Clodius tri. pl. L. Pisone & A. Gabino coss. 4. leges tulit, ex his secunda fuit, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo seruaret, & quarta cauebatur, ne quem Censores in senatu legendo præterirent, neue quem ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & utriusq; censoris sententia damnatus esset, hac lege diminuta est censura, quæ est magistra uitæ & modestiæ.

De lege Aurelia. Aurelia lege cõmunicata sunt iudicia senatui, equitibusq; Romanis, & tribunis ærariјs, Eã tulit Aurelius Cotta prætor.

De

De lege Acilia. Manius Acilius Glabrio legem tulit de pecunijs repetundis, in qua ne comperendinari quidem reum finit, L. Piso primus tulit legem de pecunijs repetundis.

De lege Annonia. Clo. Tr. pl. de annonia legem, ut frumentũ quod antea senis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.

De lege Annaria. Ea lex annorum modum finit, quibus magistratus capiendi potestas sit.

De lege Aterina. Hæc lex, cũ mos priscus fuisset interrogandæ mulctæ per magistratus, ouis aut bouis nomine: ouis ære deno, bouis ære centeno, definiuit.

De lege Aquilia. Aquilia lex ab Aquilio lata, de dolo malo, de fraude, de deceptione, de simultate.

De lege Cincia. Cincius legẽ tulit, qua cauetur antiquitus, ne quis ob causam orandam, donum pecuniame acciperet.

De lege Calphurnia. Calphurnia lege pecũiaria, pœna inter alias pœnas adiecta fuit, L. Calphurni9 Piso eã tulit

De lege Cornelia. Cornelia lege cauetur, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret. A. Cornelius conss. tulit, & idem aliam tulit, ne quis in senatu legibus solueretur; nisi ducenti adfuissent, ne quis cum solutus esset intercederet, cum ea de re ad populum ferret. Tulit idẽ Cornelius, ut p̃tores edictis suis ius dicerent, Lex est a Cornelio quodã lata, ut homines qui parricidij caussa telo accincti sint, persequantur.

De lege Cassia. A. Cassio Logino lex lata est Cassia, qua populus p̱ tabellã suffragia ferret. C. Mario C. Flacco conss. alia ab eodẽ lata, ut ille quẽ populus damnasset, cuius imperiũ abrogasset, in senatu non esset.

De lege Fabia. Fabia lex a qua adiecta pœna est illis, qui deducuntur & sectantur candidatos in comitia.

De lege Frumentaria. Frumentaria lex à Sempronio Graccho lata est, qua frumentum è publico distribueretur populo Romano.

De lege Falcidia. Lege Falcidia, à Falcidio lata, cauetur, ne plus dodrante legare liceret, propterea quod multi hæreditatem recusabant.

De lege Flauia. Flauius legem tulit de plagiarijs, cũ quis dolo seruũ aut pecus à domino, & filium à patre subtrahit.

De lege Gabinia. Gabinius legem tulit, qua bellum Cn. Pompeio Magno contra pyratas datũ est, contra C. Trebellij tri. ple. intercessionem.

De lege Iunia. Iunius Syluius cõs. cum Q. Cecilio Metello legem tulit bello Cymbrico, quod diu praue & infeliciter gestum est, propter diminuta militiæ stipendia.

De lege Iulia. Iulia lege puniuntur

adulteri. Idem Iulius Cæsar legē tulit de peculato, in eos qui remp. uel sacra furati sunt, uel furantib9 auxiliati sunt, uel furta scientes susceperunt, uel alijs uenena dederunt.

De lege Lectoria. Cum adolescentes in contractibus circumueniri solerent, Q. Lectorius pœnam deceptoribus adiecit.

De lege Licinia. P. Licinius Crassus orator, & Q. Mutius Sceuola pō. max. legem tulerunt de regundis ciuibus, ut in suę quisqȝ ius ciuitatis redigeretur, cum multi Itali cupiditate ciuitatis Ro. tenerentur.

De lege Manilia. L. Manilius legē tulit, ut quanto res a nobilibus aduersæ gestæ fuerant, illi ad magistratus gerendos admitterentur, quorum maiores in Romana republica magistratum non exercuissent, huiusmodi autem noui appellantur.

Otho trib. pl. legem tulit, ne quis cū

ordine

ordine equestri in spectaculis sederet, nisi sestertia quadraginta posſideret, q̃d si contingeret, quisquis esset, siue ingenuus siue libertus, inter equites spectare liceret in gradu 14.

De lege Oppia. Oppius legem tulit, ne superfluo ornatu mulieres Romanæ uterentur, ueue pilentis, id est, rhedis pensilibus uterentur, neue plus uncia in auribus appenderent.

De lege Hortensia. Hortensius legem tulit, ut eo iure, quo populus statuisset, & omnes Quirites tenerentur.

De lege Pompeia. C. Pompeius Strabo lata lege, ueteribus incolis trãspadianis ius Latij dedit, quod cæteræ Coloniæ latinæ habebant, ut petendi magistratus & ciuitatis Romæ ius adipiscerentur. Cn. Pompeius Magnus legem tulit, ut quæstor suffragio populi, ex his qui consules fuerant, crearetur. Idem Pompeius legem tulit, qua asperrima pœna patricidas afficit. Si quis pa

rentis, filij fata, præparauerit clam & palam, insutus culeo cum cane & gallo galinaceo, & uipera & simia, in mare aut in flumen proijceretur.

De lege Papia. Lege Papia prohibentur peregrini uti urbe Romana. M. Plotius Syl. Tr. Pl. Cn. Pompeio Strabone, & L. Portio Catone conss. legem tulit, ut singulæ tribus, quinos denos ex eo numero suffragio crearent, qui eo anno iudicarẽt. L. Rosius Otho consul legem tulit, ut in theatro equitibus Romanis ordines 24. spectandi gratia darentur.

De lege Satyra. Satyra lex est, quæ uno rogatu multa & uaria comprehendit.

De lege Scatinia. P. Scatinius legẽ tulit, qua puerorũ concubitores graui supplicio afficiuntur.

De lege Tutelari. Lege Tutelari cauetur, ne quis tutor per simulationẽ pupillum fraudet.

De

De lege Variana. Q. Varius Tr. pl. legem tulit, ut quæreretur de his, quorum ope consilioue socij P. Ro. arma sumpsissent.

De lege Voconia. Voconius legẽ tulit, ne quis census, hoc est, pecuniosus. Hæredem unicam reliqueret filiã, erat autem census ille, qui C. milia in professione detulisset.

De lege Valeria. Valerius Publicola legem tulit, ut nulli magistratui liceret, corpus Romani ciuis indicta caussa condemnare, liceretq; damnatis ad populum prouocare.

Hæc habui M. Panthagathe, quę de legibus compendiose scriberem, ut ex eo compendio aliqua ad nostros utilitas perueniat, & ita depinxisse opinor, ut ante oculos uelut in tabella posuerim. Scribant alij diffusius, Pomponio satis est placere suis.

Francisci

FRANCISCI PHILELPHI in Annotationem legũ, apud ueteres ſcriptores crebrꝰ cõmemoratarum, ad Fœdericũ Cornelium Epiſtola p̄fatiua.

Franciſcus Philelphus Fœderico Cornelio Salutem.

QVod multarum legum mentionẽ factam inuenias, & apud M. Tullium Ciceronem, & apud T. Liuium, alioſq́ ueteres ſcriptores, neq; quid legibus illis contineretur, aut quã ob cauſſam latæ fuerint, ſatis intelligas, ob eamq́ rem quid ipſe habeam certa ſcire cupias: non teneo diutius te ſuſpẽſum. Itaq; leges eas quæ crebriores ſunt magiſq́ neceſſariæ, quo facilius & clarius ueterum oratorum, atq; hiſtoricorum, & ipſorum quoq; iuriſconſultorũ ſcripta locis ſuis comprӕhendantur, hiſce literis ſubieci. Vale ex Bononia terno Idus Apriles. 1.4.39.

ANNOTATIO IN LEGES.

LEX Pompeia. Gnæus Pompeius Strabo ueteribus incolis transpadanis ius Latij dedit, & quod cæteræ Coloniæ latinæ habebant, id est, ut petendi magistratus & ciuitatis Romæ ius adipiscerentur.

Lex Portia. Portia lege nō licebat interfici ciuem Romanum, uerum uirgis uerberari. Hoc autem significatur, quod ea re tolleretur dignitas ciuilis, & redigeretur in seruum, quia tandem faciebat seruum.

Lex Fabia. Fabius pœnam ijs, qui non certo numero ut ante fuerant definiti deducerent, & sectarentur candidatos in campum comitiorū tempore.

Lex Clodia. P. Clodius Tribunus plebis legem tulit perniciosam L. Pisone & Gabinio consulibus, ne quis per

eos

eos dies, quibus cũ populo agi liceret, de cœlo seruaret contra legem Fusiam & Aeliam.

Lex Cincia uel Cinthia. Cincius uel Cinthius legem tulit, qua cauetur antiquitus, ne quis ob causam orandam donum pecuniamue acciperet. Hanc Nero abrogauit. Suet. in Nerone.

Lex Aurelia. Aurelius Cotta prætor legẽ tulit, quibus temporibus Verres à Cicerone accusatus est, qua communicata sunt iudicia senatui & equitibus Romanis, & tribunis ærarijs.

Lex Oppia. M. Oppius legem tulit, ne superfluo ornatu mulieres Romanæ uterentur, neue pilentis, id est, rhedis pensilibus ueherentur, neue plus uncia in auribus appenderent.

Lex Pompeia. G. Pompeius Magnus legem tulit, ut quæstores suffragio populi ex ijs, qui consules fuerant, crearentur.

Lex Valeria. Valerius Publicola legem

legem tulit, ui nulli magistratui lice-
ret corpus Romani ciuis indicta caussa
condemnare, liceretq; damnatis ad po-
pulum prouocare.

Lex Aquilia. Aquilius legem tu-
lit de dolo malo & fraude, de deceptio-
ne, de simulatione.

Lex Acilia. Manlius Acilius Gla
brio legem tulit de pecuniis repetun-
dis seuerissimam, qua nec comperendi
nari quidem reum sinit.

Lex Voconia. Voconius legem tu
lit, ne quis census, hoc est pecuniosus
hæredem unicam relinqueret filiam.
Erat autem census ille, qui centum mi-
lia sestertiū in professionem detulisset.

Lex Calphurnia. G. Calphurnius
Piso legem de ambitu tulit suo consu-
latu, quæ præter alias pœnas pecunia-
ria etiam pœna fuerat adiecta.

Lex Gabinia. Gabinius legē tulit,
qua bellum Gn. Pompeio de persequē
dis pyratis datum est aduersus L. Tre-
bellij tribunū plebis intercessionem.

Lex Papia. Item, ut ultra sexaginta annos uxorem non ducerent. Quã abrogauit Claudius Cæsar. Papius ciuis Romanus legem tulit, ut peregrini in urbe Roma uti prohiberentur.

Lex Latoria. Q. Latorius cum adolescentes in contractibus circumueniri solerent, pœnam eorum deceptori adiecit.

Lex Clodia. I. Clodius Tribunus plebis legem tulit annoniam, ut frumentum populo quod antea senis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.

Lex Clodia. II. Clodius idem tribunus plebis legem tulit de collegis restituendis, quæ lex ex seruorum fece constituta dicitur.

Lex Clodia. III. Clodius idem tribunus plebis legem tulit, ne quem censores in senatu legendo præterirent, neue qua ignominia afficerẽt, ni si utriusq; censoris sententia damnatus esset.

Lex Iudiciaria Aurelia. Aurelius Cotta iudiciariam legem tulit, cũ esset prætor, qua cõmunicata sunt iudicia senatui, & equitibus Romanis, & tribunis ærarijs, ut ex ijs tribus ordinibus lecti iudices res iudicarent.

Lex Varia. Q. Varius Tribus plebis legẽ tulit, ut quæreretur de ijs, quorum ope consilioue socij contra populum Romanum arma sumpsissent.

Lex Cornelia. I. Cornelius consul retulit in senatũ, ut quoniã exterarum nationum legatis, pecunia mutuo daretur, usura turpiaꝗ, & famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam fœneraret.

Lex Cornelia. II. Cornelius idem legem tulit, ne quis in senatu legibus solueretur, nisi senatores ducenti adfuissent, neu quis cum absolutus esset intercederet, cum ea de re ad populum ferretur.

Lex Cornelia.III. Cornelius idem legem tulit, ut prætores edictis suis perpetuis ius dicerent.

Lex Licinia & Mutia. P. Licinius Crassus orator, & Q. Scæuola pontifex maximus, idemq́ orator & iuriscōsultus, duo omnium sapientissimi consules, legem de ciuibus regundis tulerunt in eorum consulatu, cum summa cupiditate urbis Romæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum ꝓ ciuibus Romanis se gereret, necessaria lex uisa est, ut in suæ quisq; ciuitatis ius redigeretur.

Lex Iunia. M. Iunius Syluius consul cum Q. Cecilio Metello Numidico legem bello Cymbrico tulit, quod diu praue & inféliciter gestum est, propter diminuta militiæ stipendia.

Lex Manilia. Manilius Tribunus plebis legem tulit, qua Gn. Pompeius Magnus bellum aduersus regem Ponti Mithridathem extra ordinē gereret.

Leges Sacratæ. Post exactos reges anno 16. cum plebs propter nimiā potentiam, dominationem, in montem sacrum trans Anienen secessisset: & ibi armata consedisset, duos primos tribunos crearunt, qui deinde ad numerum. 10. aucti sunt, & legem condixerunt, quibus suum in partes ius tuerentur priusquam in urbem reuerterentur. Vnde & sacratæ dicuntur, ad patrū plebisq; concordiam pertinentes.

Lex Cassia. I. Cassius Longinus L. filius legē tulit, qua populus per tabellam suffragium ferret, G. Mario & G. Flacco consulibus.

Lex Cassia. II. Cassius idem alterā legem tulit ad minuendam nobilitatis potentiam, ut quē populus damnasset, cuiue imperium abrogasset, in senatu non esset.

Lex Aurelij Cottæ. Aurelius Cotta legem dedit, cum Sylla ad diminuendam plebis potentiam, multos cum ei

magistratus ademisset, ut plebi liceret interceptos magistratus capere: & cōmunicata sunt iudicia senatui & equitibus Romanis, & tribunis ærarijs; unde & lex iudiciaria dicta est.

Lex Roscia. L. Roscius Otho cōsul legē tulit, ut in theatro equitibus Ro. ordines quatuordecim spectandi gratia darentur.

Lex Plotia. M. Plotius Syllanus legem tulit cū esset Tri. pl. G. Pompeio Strabone, & L. Portio Catone cōsulibus, qua trib9 singulæ ex eo numero q̄nos denos suffragio crearent, qui eo anno iudicarēt, ex eo factū est, ut senatores quoq; in eo numero essent, ut quidam etiam ex ipsa lege.

Lex Satyra. Satyra lex est, quæ uno rogatu multa simul & uaria cōprehendit, ut Vultis ne? lubetis ne? ut cū legurtha bellū cōponatur? Elephātos tradat omneis? Trāsfugas reddat uniuersos?

Lex Othonis. Otho Tri. pl. legem tulit, ne quis in ordine equestri specta

turus sederet, nisi sestertia quadraginta milia posſideret. Quod si contingeret q̃squis esset, siue ingenuus siue liber t, inter eqtes spectare ei liceret in gradu 14

Lex Scatinia. Scatinius legē tulit, q̃ua puerorũ concubitores graui supplicio afficerent, Arsenocœtas uocant.

Lex Iulia. C. Iulius Cæsar lege san xit, ne adulteri forent, deprehensi autem, supplicio dederentur.

Lex Mamillia. Mamillius Tri. pl. legem tulit, uel quando res à nobilibus aduersæ gestæ fuerant, etiã ij ad magistratus gerendos admitterentur, quorum maiores in Ro. repub. magistrat, non exercuissent, huiusmodi autem homines noui appellantur.

Lex Sempronia. Sempronius Gracchus legem tulit, qua frumentũ è publico distribueretur populo Romano, quæ frumentaria dicta est.

Lex Hortensia. Q. Hortensius dictator, cum antiquioribus temporibus

Patritij plebiscitis nequaquã tenerentur, eam tulit legem, ut eo iure quod plebs statuisset, & patritij & omnes quirites tenerentur.

Lex Annaria. Annariam legẽ appellant, quæ modũ annorum finit, quibus magistratus capiundi potestas sit.

Lex Aterina. Lex Aterina cõstituit, ut cum mos priscus fuisset interrogandæ mulctæ per magistratus ouis aut bouis nomine: ouis ære deno, bos autem ære centeno definiri intelligatur.

Lex Falcidia. Falcidius legẽ tulit, qua cauetur, ne plus legare liceret quã lege Clodia, ut emptorum bonorũ est uncias nouem, idq; ipsorum testatorũ gratia prouisum est, ob id q̃d plerumq; intestati moriebantur, recusantibus scriptis hæredibus pro nullo aut minimo lucro hæreditatis.

Lex Flauia. Flauius inter iudicia pub. constituit de plagiarijs, eum qui obliquis & insidiosis pollicitationibus

seruum

seruum à domino, uel filium à patre sub trahit, uel etiam pecus.

Lex Iulia. Iulius Cæsar legẽ de peculatu sanxit in eos, qui rem uel publicã, uel religiosam, uel sacrã furati sunt, uel furantibus ministeriũ adhibuerint, uel qui furta scientes susceperint, quos uel capitali animaduersione uel deportationis pœna puniri iussit.

Lex Cornelia. Cornelius legem in eos tulit, quę & testamentaria uocatur, qui testamentum uel alias tabulas falsas scripserit, signauerit, recitauerit, subierit, quiue signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit. Seruos quidem ultimo affecit supplicio, liberos autem deportatione.

Lex Pompeia. Pompeius asperrimũ crimen noua pœna parricidas p sequit: Si quis parentis aut filij fata perpetrauerit, siue clã siue palam, insutus cul[illegible]e & gallo gallinaceo, uipera & simi[illegible] mare, uel in

in amnem proijceretur, ut inter ferales angustias comprehensus, omnium elementorũ usu uiu, carere incipiat, & ei cœlo superstiti terra mortuo auferat.

Lex Cornelia. Cornelius legem in eos tulit, qui homines occidendi caussa cum telo ambulent, ultore gladio eos persequens. Telũ omnia armia cõprehendit.

Lex Latoria. Latorius ciuis Romanus legem condidit, qua cautum erat, ut si quis pupillorum bona diriperet, acerrimas pœnas lueret.

Lex Apuleia. Apuleius legem tulit, qua cauebatur, si quis publicam maiestatem minuisset; capitalis esset.

FINIS.

[redacted]

ANN [redacted] 1544.